

Hector Conradi

Synopsis Praelectionum Logicarum Disputationibus XII absoluta

Rostochii: Kilius, 1642

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729604942>

Druck Freier  Zugang



R U. Phil. 1642
Conrad, Hector,
Synopsis praedlectionum logicarum
(1-12)

ספר סינוסי
ΣΥΝΟΨΙΣ

PRÆLECTIONUM
LOGICARUM

DISPUTATIONIBUS XII

absoluta,

¶

In Illustri Rosarum Acade-
miâ m. August. & Septembri Anno

∞ 10CXXXII. ab eruditiss. Studiosis more
Academico ventilata,

Autore ¶ Praefide

M. HECTORE CONRADI,
Ultz. Lunæb. S.S. Theol. Studiofo.



ROSTOCHII,

Typis expressa NICOLAI KILII, Academiæ Typogr

ANNO Æræ Christianæ M. DC. XLII.

igices
nstru-

PRÆLECTIONUM
LOGICARUM
AUSP. ELECTORIS
EPHON.

In Illustri Romanorum Aca-
demia in Augusti & S. Petri Anno
1704. die 1. Martii. habita-
ta.

M. PLECTORIS C. O. N. R. A. D.
S. C. L. A. N. T. I. S. T. H. E. O. L. O. G. I. C. I.



ROSTOCK
1704



DISPUTATIO I.

De

NATURA LOGICES ET PRÆDICABILIBUS.

Resp. JACOBO Xheburg / Behlmâ Brem.



Vniversam Logicam Peripateticam brevibus Aphorismis tradituri, omnia illa, quæ communiter à Dd. de ejusdem Utilitate, Præstantiâ & Necessitate loco προοιμιας præmittuntur, omittemus & rectâ ad ipsam Tractationem nos conferemus,

II. Ne verò etiam Naturam Logices, quam aliàs non simpliciter necessariam esse existimamus, præteruisse videamur, præcipua eò spectantia adducemus.

III. Et quia potissimum in hoc negotio quæritur de Definitione, Divisione, objecto & aliis hæc ipsa περιεχόμενα explicantibus, singula pro instituti ratione afferemus.

IV. Definitur Logica, seu velis, Dialectica, quòd sit habitus intellectualis organicus, mentem hominis in rerum cognitione dirigens ad Veritatem perveniendi.

V. Genus est Habitus intellectualis organicus. Hinc sequitur, quòd Logica sit neque Ars, neq; Scientia strictè loquendo & consequenter nec pars Philosophiæ. Differentia specifica, quâ differt à cæteris habitibus, in reliquis verbis reperitur. Unde porrò concluditur, Logicam non esse Facultatem, cum alterum horum respiciat unum, alterum utrumq; oppositorum,

VI. Finis itaq; Logices, puta externum seu principale, est Veritas: siquidem omnia in Logicis eò referuntur. Huic responderet internus seu minùs principalis Syllogismus, quò omnia Logices

A instru-

instrumenta collimant. Unde etiam illi fines dici possunt parciales: hic adæquatus.

VII. Objectum constituunt omnia Entia, non quæ talia, sed quatenus notionibus secundis ex iis effingendis sunt convenientia, ut eorum beneficio ad Veritatem accedamus. Ita Homo, Animal &c. in Logicis, non quæ talia, sed quæ sunt vel genera vel species, medius major vel minor terminus &c. cognoscuntur.

VIII. Et hinc oritur quæstio satis nobilis inter eruditos de Objecto Materiali & formali, Notionibus item primis & secundis. Materiale dicitur res ipsa pertractanda. Formale, aliàs modus considerandi, dicitur illa ratio, sub quâ illud materiale tractatur. Notio verò prima illud dicitur, quicquid in re ponendo fundamentum reale concipimus citra fictionem intellectus, cui contra distinguitur secunda, cum intellectus noster ultra rem in re aliquid apprehendit eo modo & more, quo calculus in abaco positus concipitur mille aut plures etiam aureos valere, cum ut plurimum valeat ne tantillum: quod tamen plurimas habet difficultates. Hinc dicitur etiam satis commodè Ens rationis & ratio rationis, non præcisè eâ de causâ, quòd rationi inhaereat, aut quòd rationi obijciatur, sed ob illam, quam supra dedimus rationem. Et notum, trifariam posse existentiam entis ab intellectu dependere: effectivè, subjectivè & objectivè.

IX. Dividitur autem non tam à Latinis, quàm Græcis Interpretibus quamvis diversis Definitionibus in Docentem & Utentem. Illa tradit præcepta. Hæc Usus. Quarum neutra, si Definitio Logices firmo stat talo, Scientiæ aut alterius habitus principalis nomen meretur. Dum enim ipsas res in scientiis tractat, nihilo minus dirigit mentis operationes.

X. Utraque (cæteris divisionibus omissis,) subdividitur juxta Mentis operationes in tres partes, Cognitionem terminorum simplicium, eorundem compositionem & ex iisdem ratiocinationem. Thom initio lib. de Interpret. Ad istam pertinet Doctrina de Universalibus, Prædicamentis, Definitione & Divisione. Ad illam universus tractatus de Enunciationibus cum affectionibus suis de Subalt. Opposit. Equipoll. & Conversione &c. Ad hanc Syllogismus formaliter & materialiter consideratus.

XI. Hæc est Natura *ως ἐν τῷ ὅλῳ* totius Logices, quæ præmissa, ad

278

ad ipsam Logicam, percurrendo omnes essentielles partes, progrediemur. Et quia Universalia, ut in limine Organi Aristotelis videre est, in gratiam prædicamentorum à porphyrio sunt conscripta, Prædicationum Varietates, quæ lucem Universalibus afferunt, præmittemus.

XII. Dicitur Prædicatio unius de altero Affirmatio. Non negatio, quia certæ rerum classes constituendæ. Et dividitur in impropriam & propriam. Illa, cujus partes improprie. Hæc, proprie capiuntur. Porro ad primam classem pertinent Causalis & concomitativa. Illa, cum causa de suo effectu prædicatur, & vice versa. Hæc, cum unum de alio in casu recto ob necessariam coexistentiam prædicatur. Ad hanc Naturalis, contra Naturam & præter Naturam referuntur. Prior, cum id prædicatur quod inest & subicitur, cui alterum inest. Posterior contrariam planè habet prædicationem. Postrema & media quæ inter has prædicationes, cum illa, quæ alteri reverè non insunt, prædicantur, & illa, quibus alterum non inest, subjiciuntur, sive idem de eodem, sive connotativum de connotativo, nisi formæ in abstracto de se invicem prædicari possint, tum enim ad proprias in specie ad Naturales referuntur. Alia deinde est intrinseca, alia extrinseca, alia essentialis, alia accidentalis, alia in quid, alia in quale, & hæc rursus in quale essentialis & accidentale. Denique alia est Necessaria, alia Contingens, alia impossibilis &c. quibus Theologi addunt inusitatas, quæ omnes nullam habent difficultatem, si ultimam excipias, quæ in Theologiâ Academicâ explicatur.

XIII. Quicquid sit, nos non nisi propriam, Naturalem, Intrinsecam cum suis subdivisionibus ad Logicam referimus, cæteras ob prægnantes causas supra implicite positas hinc in exilium proscribentes.

XIV. Quibus absolutis ad Universalia descendamus. Ubi quidem non possumus non fateri, multas posse circa hanc Doctrinam jure meritoque difficillimas quæstiones moveri, quibus non explicatis, frustra fortassis aliquid paulò Doctioribus de Universalibus promitteremus. Quia verò nostrum propositum non est primam Philosophiam hîc profiteri, illas hoc loco silentio involvemus, vel potius,

A 2

ne or

ne ordo disrumpatur, ad ipsa Corollaria reservabimus, tacite quasi illas interim supponentes.

XV. Dicitur autem Universale, aliàs Prædicabile, res multis communis, seu quod aptum est de multis prædicari. Priori respectu dicitur Universale: prædicabile posteriori. Et dicitur aliàs Universale in essendo, quod nullà ratione cum Universalibus in causando & repræsentando confundendum. Cui opponitur contrarià Definitione Individuum seu Singulare.

XVI. Et ne janua Hæreticis aperiatur in tremendo Articulo de Sacrosanctâ Trinitate, necessariò tria ad omne Universale requiruntur. Primò res una. Secundò, ut illa res sit in multis. Tertiò, ut illa res in inferioribus multiplicetur. Ita Homo est res una, est in multis, & in omni supposito multiplicatur.

XVII. Dividitur autem in Genus, Speciem, Differentiam, Proprium & Accidens. Quicquid enim prædicatur de re, illud de eâ prædicatur aut essentialiter aut accidentaliter. Si essentialiter, aut ut pars materialis, aut formalis, aut tota essentia. Si prius, genus, si posterius differentia, si postremum, species. Si accidentaliter, aut in necessarium contingens, aut in accidentale. Si prius, Proprium, si posterius, Accidens constituendum. Hinc quinq; non plura aut pauciora Universalia derivantur.

XVIII. Sed notandum inter alia, hanc Divisionem non esse immediatam, nec Univoci aut Æquivoci, sed Analogi in sua Analogata: siquidem mediantibus aliis ita dividuntur, & alia essentialiter, alia accidentaliter prædicantur.

XIX. Genus Logicum de pluribus specie differentibus in quid & species in quid de pluribus numero differentibus prædicatur. Illius datur aliud summum seu generalissimum, ἀνώτατον, quod supra se non agnoscit aliud genus, & subalternum, ὑπάλληλον, quod ob certum respectum vel ad superius vel inferius modò generis modo speciei nomen & rem meretur. Hoc, puta speciem, dispescitur in Specialissimam, τὸ ἐξοχάτον, & subalternam. Illa non potest dividi in alias species, unde dicitur Infima. Hæc ob certum respectum modò genus modò species æstimatur.

XX. Differentia de specie & Numero differentibus in quale
essentiale

essentiale prædicatur. Et quia vel constituit cum genere speciem, vel ipsum etiam genus dividit, sic illa dicitur constitutiva, hæc divi- siva. Quò etiam illa pertinet divisio Differentiæ in Genericam & Specificam. Hæc constituit speciem, unde nomen habet. Illa Ge- nus, seu speciem subalternam.

XXI. Proprium, quod est quartum prædicabile, & à porphyrio *ἰδίον* salutatur, de pluribus specie & numero distinctis in quale non essenziale, sed necessarium prædicatur. Quò etiam aliæ significationes hujus Vocis, sed nimis improprie referuntur. Qua- rum primum proprium competit rei alicui Soli, sed non omni. Se- cundum Omni, sed non Soli. Tertium de Omni, Solo & semper affirmatur.

XXII. Accidens de multis specie & Numero differentibus in qua- le non essenziale, nec necessarium, sed contingens prædicatur: vel si mavis illam porphyrianam: Quod adest, vel abest sine subjecti corruptione. Et dividitur in separabile & inseparabile, *χωριστὸν* & *ἀχωριστὸν*. Illud separatur. Hoc non, quamvis possit citra essentiæ corruptionem separari, ut in corvo manifestum.

XXIII. Dicitur autem hoc prædicabile Accidens, non omne: Sic enim prædicabile cum prædicamentali confunderetur. Quod male: siquidem hoc dicit ipsam rei essentiã: illud rerum connexione.

COROLLARIA.

| | |
|--|--|
| An Logica Peripatetica ab aliis di- stincta Discipl. Aff. | Quid ordo. Disponit Discipl. citra illationem. |
| An Ramo præferenda. Aff. | Quæ discipl. habent ordinẽ Synth. Theoretica. |
| An illa simpliciter necess. Neg. | Quæ Analyticum. Practica. |
| An possit juxta differendi modos dividi. Aff. | Quodnam fundam. hujus. Facilius & perfectior cognit. |
| An in Notionibus secundis falsitas. Neg. | An Doctrina de Prædicat. possit ad 1 partem referri. Aff. |
| An Logica in Methodorum tractat. versetur. Aff. | An dentur Universalia. Aff. |
| Quotuplex. Duplex. | An mentis operationẽ antecedant. Neg. |
| Quid Methodus proprie dicta. Il- latio rerum. | |

A 3

Quid

Quid de Platonis & Nominal. sen-
tens. habend. Explodenda.

An cons. rvens Universalitatem in
Actuali predicat. Aff.

An sint aeterna. Secundum essentiam.
An etiam Individua. Quoad rem,
non quoad modum concipiendi.

An omnia entia & non entia susci-
piant Gen. & sp. Neg.

An Deus. Neg.

An gen. in una specie, & species in u-
no Individ. possint conservari. Dist.

An Individ. sit predicabile. Neg.

Quomodo differant predicab. Si-
gillatim sumpta ex Natura rei.

An proprium possit à suo subiecto
abesse. Disting.

DISPUTATIO II.

De

ANTEPRÆDIC. PRÆDIC. POSTPRÆD. DEFINIT. ET DIVISIONE.

Respond. JUSTO SCHUSLERO, Hamelenf.

XXIV. Doctrinam de Prædicabilibus excipit utilissima illa Do-
ctrina de Prædicamentis. Et quia illa tribus absolvitur partibus,
Antepredicamentis, Prædicamentis & Postpredicamentis, Antep-
predicamenta in gratiam prædicamentorum ab Aristotele conscri-
pta præmittemus.

XXV. Absolvuntur illa Definitionibus, Divisionibus & Regulis
nonnullis. Ad primam classem Æquivoca, Univoca, Analoga &
Paronyma referuntur. Æquivoca habent idem nomen & diversam
Definitionem. Nomen dicitur Æquivocum æquivocans: res æqui-
voca æquivocata. Univocum habet idem nomen & eandem
definitionem. Nomen dicitur univocum Univocans: res univoca
univocata. Analoga sunt quasi medium inter Æquivoca & Ana-
loga, quorum vulgè tria numerantur genera, secundum intentionem
tantum, secundum esse tantum, secundum intentionem &
esse simul. Prius, cum tantum intentio dicitur secundum prius &
posterius. Posterius, cum res competit secundum prius & posterius
tantum. Postremum, quod non tam intentionem, quam esse habet
Analogum, aliàs ἐν τῷ ἐνὸς τῶος ἐν vid. Thom. i. sent. d. 19. q. 5. a. 2.
ad 1. Quæ Cajetanus de Analog. Nominum c. 1 paulò aliter expli-
cat

cat per Inæqualitatem, Proportionem & Attributionem. Denominativa denominant rem à formâ aliquâ, à quâ non nisi casu differunt & terminatione. Unde denominativa non tam secundum Vocem, quàm secundum rem tantùm excluduntur. Et requiritur ad hoc, Vox denominans, seu ipsa forma, Res denominata, seu subjectum, quod denominatur, & deniq; denominativum, unde res denominatur.

XXVI. Hinc fluit discursus de Abstracto & Concreto, quæ latissimè per omnes ferè eruditionis partes vagantur. Illud simplicem significandi modum habet, cùm non nisi Formam denotet. Hoc præter Formam simul Subjectum involvit. Et illud quidem differt ab Absoluto, quòd omne abstractum sit absolutum, non vice versâ. Hoc quòd omne connotativum si concretum, non, omne concretum connotativum.

XXVII. Ad secundam classem de Divisionibus spectant complexum & incomplexum. Illud ponit voces plures connexas, quæ plures in nobis generant conceptus. Hoc dicitur vox una unum conceptum gignens in auditore. Et si vox sit una plures conceptus gignens, oritur inde incomplexum Voce tantùm. Et vice versâ, si plures voces, gignent unicum conceptum, oritur complexum voce tantùm. Deinde pari jure huc pertinet, quid sit in subjecto esse & de subjecto affirmari. Illud de re ut accidentale prædicatur: hoc ut essentialè.

XIIX. Ad ultimam classem de Regulis hæc axiomata referuntur: Quicquid prædicatur de altero, ut subjecto, illud ita est comparatum, ut, quicquid de eo rursus prædicatur, illud etiam de eodem prædicetur. Ita quia homo de Petro prædicatur, quæ de homine prædicantur, de Petro etiam prædicantur. Deinde: Diversorum generum diversæ sunt differentiæ divisivæ: subalternè positorem generum eadem differentiæ esse possunt constitutivæ.

XXIX. Tantùm restat, quo fine hæc tradantur. Diximus supra, propter prædicamenta. Quæritur, quomodo? Singula ita applicando. Primò, quia vera genera & species ad prædicamenta pertinent ante omnia hic Æquivoca, Univoca & Analoga cognoscenda. Deinde, quia Adjectiva de rebus in alio genere constitutis prædicantur, Denominativa observanda. Porro, quia Substantiæ

sub

torum

sub concretis Vocibus, Accidentia sub abstractis in prædicamentis ponuntur, nullo modo, quid sit concretum, quid abstractum, negligendum. Tandem (cætera enim ipsi lectori relinquemus) ut nobis constet de profunditate & latitudine prædicamentali, regulæ illæ præmittuntur. Et tantum etiam de vestibulo prædicamentorum: sequuntur prædicamenta.

XXX. Prædicamenta seu *κατηγορίαι* sunt classes rerum sub uno summo genere secundum genera subalterna, species subalternas, infimasq; ac Individua certâ serie & ordine positarum, ut, quid de quò prædicetur, iudicetur.

XXXI. Et quia ejusmodi classes decem sunt, decem quoq; prædicamenta contra Platonis, Xenocratis, Stoicorum & Plotini sententiam sunt ponenda: Substantia, Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Passio, Quando, Ubi, Situs, Habitus. Quorum numerus vel à priori cum Th. & Fons. ex numero prædicatorum, vel à posteriori per inductionem omnium rerum demonstratur.

XXXII. Ad illas classes propriè & directè spectant Entia realia, non omnia, sed quod per se unum, ens completum, & ex multorum placito tam finitum quàm infinitum, quod nondum satis manifestum. Cætera non nisi indirectò & impropriè eò referuntur.

XXXIII. Principem autem locum sibi vendicat Substantia, quæ non est in alio, ut subjecto, sed per se subsistit. Et dividitur in primam & secundam h. e. in individua & illorum genera ac species. Aliter in spirituales & corporeas &c. Cujus proprietates sunt: Non esse in subjecto: Non habere contraria: Non recipere magis & minus: recipere contraria: quæ omnia indigent explicatione.

XXXIV. Accidens est quod non per se subsistit, & dividitur in IX. summa genera. Inter quæ non malè primam occupat locum Quantitas, quæ vulgò ita obscurè exprimitur: unde res dicuntur quantæ. Dividitur autem iterum miàs commodè in duas species & specierum species. Ad illam, cujus partes communi aliquo termino copulantur, spectat linea, superficies, corpus, locus, tempus. Ad hanc, cujus partes non ita copulantur, Numerus & Oratio. Et habet has proprietates: Nihil quantitati esse contrarium: Non recipere magis & minus: A Quantitate dicuntur res æquales & inæquales.

XXXV. Se-

XXXV. Sequitur Qualitas, tertium prædicamentum, à quâ juxta Arist. res dicitur qualis. Et redigitur ad IV. Species. Primam absolvunt Habitus & Dispositio. Harum illa dicit qualitatem difficulter mobilem. Hæc facîle mobilem de subjecto. Secunda possidet potentiam Naturalem & Impotentiam. Illa dicit naturalem potentiam vel ad agendum, vel patiendum. Hæc ponit ineptitudinem naturalem. Tertia in se habet Passionem & patibilem qualitatem. Quarum illa existit ab animi motu in corpore. Hæc afficit sensum. Quarta & ultima respicit formam & figuram. Hæc resultat ex terminatione quantitatis. Illa oritur ex quantitate in corpore naturali consideratâ. Et habet has proprietates: Contrarietatem: Recipere magis & minus: A qualitate res similes & dissimiles appellari.

XXXVI. Relatio deinde, per quam hoc loco non intelligimus aut Rationis relationem aut realem secundum dici, aut transcendentalis, quarum ista pendet à ratione, illa præter esse respectivum habet absolutum, hæc ad correlatum velut causa, subjectum ad prædicatum &c. refertur: sed prædicamentalem volumus, cujus totum esse est in respectu ad aliud, velut purum & putum terminum. Ad quam relationem concurrunt simul Relativum seu subjectum, fundamentum Relationis remotum, proximum fundamentum, seu ratio fundandi, & Terminus Relationis. Et sequentes habet proprietates: posito uno ponitur alterum: remoto uno removetur alterum: Uno cognito cognoscitur alterum: Simul sunt: posito enim Patre, ponitur filius: remoto Patre, filius removetur.

XXXVII. Actio est, quum agere quis dicitur. Passio, cum pati. Et Actiones dividuntur in transeuntes & immanentes. Illæ transeunt de Subjecto in aliud subjectum. Hæ manent. Proprietates: Recipere contrarium & magis minusque, quod manifestum.

XXXVIII. Ubi est loco contineri. Quando est tempore circumscribi. Situs est habere partes corporis certo modo ad partes loci affectas. Habere est corpori aliquid adjacere. De quibus eruditissimus Gilbertus Porretanus in scripto suo de sex ultimis prædicamentis videatur.

XXXIX. Restant post prædicamenta, in gratiam prædicamentorum

torum itidem conscripta : cū enim mentio facta fuerit contrariorum, & simul, Prioris & motus, si non explicitè, tamen implicitè, ne series prædicamentorum interrumpatur, hinc explicantur. Et oppositio quidem vel impropriè sumitur, vel propriè. Si prius, oriuntur disparata, quæ pluribus indeterminatè opponuntur, unde etiã in nullas alias species dispescuntur. Si posterius, intelligitur pugna duarum rerum, quæ de unò eodẽ singulari, eodem tempore, eodem respectu &c. nequeunt affirmari. Et quia hoc fieri potest IV. modis, sic jure meritoq; quatuor species Oppositionis rerum numerantur. Relativa est inter duo correlata. Contraria inter duas contrarias qualitates, quarum una alteram vel formaliter vel effectivè ex subjecto expellit, sive sint contraria mediata, sive immediata. Privativa inter formam & privationem ejus. Contradictoria inter esse & non esse reperitur.

XL. Prius dicitur aliquid, vel ratione temporis, vel naturæ, vel ordinis, vel causæ, vel nobilitatis. Simul respectu temporis & coexistentiæ. Moveri, quando res oritur, interit, accrescit, decrescit, alteratur & loco mutatur. Habere deniq; respectu qualitatis, quantitatis, respectu corporis, partis, quod rem completitur. & deniq; qui rem possidet, ut pluribus passim in Logicis occurrunt. Sequitur de Definitione & Divisione, quæ ad terminos simpliciter rectè apprehendendos & distinguendos requiruntur.

XLI. Illa primò duplex censetur, Alia Nominis, Alia Rei. Ibi nominis significatio tantum explicatur. Hinc res ipsa. Et quia res vel perfectè, vel imperfectè explicatur, datur deinde rerum Definitio propriè dicta & Descriptio. Hæc adumbrat rem per genus & vel per propria, vel collectionem Accidentium. Illa perfectè rem explicat per genus & differentiam specificam : & quia differentia specificæ nos plerumq; fugiunt, non sanè mirum, si rarissimè hæc Definitio conspiciatur. Dividitur autem porro in essentialem & Causalem. Illa, cū genus & differentia defumitur à causis internis. Hæc à causâ externâ, sive efficiente, sive finali.

XLII. Hæc, puta Divisionem, est Oratio, quâ Totum in partes dividitur. Et deinde Alia est Nominis, Alia Rei. Illa consistit in liberatione vocis ab æquivocatione. Hæc, cū totum reale in partes

tes

tes dividitur: cumq; illud totum sit quadruplex, quatuor divisio-
num genera inde oriuntur. Integrale dividitur in partes quantas
seu integrantes, sive sint similes, sive dissimiles. Potestativum,
cum illud, quod habet facultates, in facultates seu potentias dividi-
tur. Essentiale est in partes essentielles. Universale, cum totum
Universale dividitur in partes inferiores. Quae Divisiones dicuntur
perse, divisionibus per accidens contradistinctae.

XLIII. Ad Definitionem requiruntur: Definitio sit ex notiori-
bus: Cum Definito convertatur: Nihil desit aut superfluat: sit bre-
vis, quantum fieri potest &c. Ad Divisionem: ut singula membra
dividentia minus contineant diviso: ut totum in proximas partes
dividatur: Ne in altero membro terminus positivus: in altero pri-
vativus: ut neutrum membrorum dividentium sub altero conti-
neatur. Et Tantum de prima parte Logices: sequitur secunda de
Enunciatione.

COROLLARIA.

- | | |
|---|--|
| <i>An Pradicam. pertineant ad Lo- gic. Dist.</i> | <i>An ejus rei certa ratio dari possit. Aff.</i> |
| <i>An Equivoca possint definiri: Dist.</i> | <i>An in bruta cadant Habitus. Suo modo.</i> |
| <i>An Ens sit S. genus rerum. Neg.</i> | <i>An possint per Unam Actum com- parari: Aff.</i> |
| <i>An Pradicam. strictè possint Defi- niri. Neg.</i> | <i>An omnes qualitates habeant con- traria. Neg.</i> |
| <i>An autem possint melius describi, quam in Log. Aff.</i> | <i>An de ratione passionis sit actualis inherentia. Aff.</i> |
| <i>An Accidentia citra inhaerentiam possint conservari. Adversarii affirmant propter Eub.</i> | <i>An in eterno, quantum ad ipsam spectat, sit tempus. Neg.</i> |
| <i>An tot spec. Quantitatis, quod nu- merantur. Neg.</i> | <i>Quid de propriet. Pradic sent. Non omnes sunt in I V. modo.</i> |
| <i>An Relat. sit pradic. distinctum. Aff.</i> | <i>An Oppositio sit Analogè in sua A- nalog. Aff.</i> |
| <i>Quod sit S. genus ejus. Partium ipsa Relatio.</i> | <i>An contraria inter se pugnent. Non simpliciter.</i> |
| <i>An Qualitates bene ita dividan- tur. Aff.</i> | |

DISPUTATIO III.

De

ENUNCIATIONE, IN SPECIE ABSOLUTA ejusdemq; QUANT. QUALITAT. FINIT. ET INFINITATE.

Resp. *MATTHIA Schreiber/Lubecensi.*

XLIV. Progressuri ad Enunciationem, secundam partem Logices, quid sit nomen, quid verbum, præmittendum. Et illud quidem dicitur, quòd sit vox significans secundum impositionem absque tempore. Unde excluduntur voces nihil significantes & illæ, quibus animalia exprimunt animi affectus. Hoc con significat tempus & est nota eorum, quæ de alio dicuntur. Unde excluduntur illa nomina, quæ quidem significant tempus, non con significant, quod est verborum. Et quemadmodum in nomine obliqui casus excluduntur: sic in verbo reliqua tempora & modi, si indicativum & tempus præsens excipias, excluduntur.

XLV. Oratio est vox, cujus partes separatim aliquid significant, ut dictiones, non ut affirmationes, vel negationes. Et alia est perfecta, alia imperfecta. Perfecta (cæteris huc non pertinentibus omis- sis) dicitur Enunciativa, ἀπόφανσις, quæ verum & falsum signifi- cat, cujus partes sunt subjectum, & prædicatū, quibus multi non in- fimæ sortis Philosophi addunt copulam, quæ suas habet difficul- tates. Prius dicitur, de quo aliquid affirmatur. Posterius, quod præ- dicatur. Postremum utrumq; connectit, sive expressè ponatur, sive lateat in prædicato. Ubi distinguendum etiam inter voces ca- tegorematicas & syncategorematicas. Illæ citra additamentum subjectum & prædicatum esse possunt. Hæc non item. Et dividitur in simplicem seu categoricam & conjunctam seu hypotheticam. Utraq; rursus in affirmativam & negativam. Prior in absolutam & Modalem. Posterior in hypotheticam strictè dictam, disjuncti- vam & copulativam. Quarum aliæ divisiones sunt per se, aliæ per accidens ob diversitates illas, quæ vel circa prædicatum, vel subje- ctum, vel etiam copulam oriuntur.

XLVI. Ut ordine de singulis agamus, ordiemur ab absolutâ, cu- jus qualitatem, quantitatem, finitatem & infinitatem cognoscemus,

XLVII. Qualitas illa consistit in affirmatione & negatione. Illa dicit, prædicatum inesse subjecto, sive finitè sive infinitè. Homo est Animal. Homo est non lapis. Hæc removet, quando scilicet particula negans spectat ad copulam, ad quam spectat, sive ponatur ante eam proximè: sive præponatur signo aut Enunciationi: sive deniq; in ipso signo lateat inclusa. Et si duæ particulae negantes occurrant in propositione ad copulam pertinentes, propositionem faciunt affirmantè, ut infra in doctrinâ de Æquipollentiâ audiemus.

XLIX. Quantitas consistit vel in universalitate vel particularitate, quæ oriuntur ex signis propositionibus præfixis. Signa autem, modò hinc Æquipollentiam excludamus, universalia sunt Omnis, si distributivè sumatur, Quicumq;, quisq; Nullus. Particularia Quidam, Aliquis. Quò pertinent etiam indefinita & Singularis, quarum illa nullum quidem signum habet, æquipollet tamen vel Universali, vel particulari. Idq; potissimum ob rerum connexionem. Hæc habet subjectum singulare.

XLIX. Finitas consistit in finitate terminorum. Infinitas in eorundem infinitate h. e. cum vel subjectum vel prædicatum vel utrumq; est terminus infinitus. Hinc etiam orta fuit illa distinctio inter infinitam propositionem infiniti subjecti, infinitam infiniti prædicati & deniq; tam infiniti subjecti, quàm prædicati. e. g. Omne quod non est Animal non est Homo. Asinus est non homo. Omnis non homo non est non Animal.

COROLLARIA.

An Nomen & Verbum pertineant ad secundam Log. partem. Aff.
An simpliciter verum sit, nihil cognosci sine signo. Neg.
An voces signa conceptuum. Aff.
An conceptus apud omnes iidè. Aff.
An locutio Angelorum ad signa naturalia pertineat. Hoc altiorè subsellii.
An Veritas in omnibus intell. operationibus sit. Aff.

An Arist. rectè de Complexo statuerit. Aff.
An Verbum infinitum in Enunciat. maneat infinitum. Aff.
An Enunciatio apprehensiva mentalis sit distincta à judicativa. Aff. & Dist.
An illa propositio Universalis, cujus materia est necessaria. Neg.
An necessarium, in Logica agere de Quantit. Qual. Finit. & infinit. Propos. Aff.

DISPUTATIO IV.
De
SUBALTERN. OPPOSITIONE,
ÆQUIPOLLENTIA ET CON-
VERSIONE.

Respond. DANIELE CONRADI, Ultz. Lunab.

L. Subalternatio est inclusio immediata enunciationis particularis in Universali idem subjectum & prædicatum habente. Et ut subalternatio rectè instituat, duo axiomata observentur. 1. Quoties subalternans h. e. Universalis est vera, toties & subalternata, 2. Quoties subalternata est falsa, toties falsa subalternans. Sed neutrum licet invertere. Ratio prioris: quia universales propositiones consistunt in distributione h. e. subjecta ponuntur pro omni supposito. Posterius inde: posito falso: quidam homo est lapis, si hæc ejus subalternans: Omnis homo est lapis, vera esset, Dictum de O. & N. falsitatis argueretur, quod est absurdissimum, ut manifestū.

LI. Oppositio, puta non verum sed propositionum, est pugna duarum propositionum, cum idem de re una affirmat, quod altera negat. Cujus vulgò quinque species numerantur: Contradictoria, quæ est non tantum inter Universalem affirmantem & particularem negantem, quam Universalem negantem & particularem affirmantem. Contraria est inter duas universales. Subcontraria inter duas particulares. Indefinita inter duas indefinitas, cum nullum signum adest. Singularis inter res singulares.

LII. Contradictoria, Indefinita & Singularia nunquam conveniunt vel in Veritate vel falsitate. Contraria nunquam sunt simul vera, interdum simul falsa, interdum unum verum, alterum falsum. Subcontraria nunquam simul falsa, sed modò simul vera, modò unum verum, modò alterum falsum. Primum pro fundamento habet primum illud principium, unde incipimus & in quo tandem desinimus, idem non potest simul esse & non esse. Secundum: Si duo contraria possunt esse simul vera, sequitur, etiam duo contradictoria posse esse simul vera, quod est absurdum. Conseq.
quia

quia subalternantibus veris, veræ etiam subalternatæ. Tertium: Si duo subcontraria possunt esse simul falsa, vera erunt eorum contradictoria: siquidem contradictoria nunquam conveniunt in falsitate. Sed posterius est absurdum, quia eorum contradictoria sunt duo contraria, quæ nunquam simul vera sunt, ut jam demonstratum.

LIII. Æquipollentia, puta propriam & propositionum, est cum duæ pluresve propositiones ejusdem subjecti & prædicati, quantitatis & qualitatis ita unum idemq; significant, ut signo tantum & particulâ negante discriminentur. Et constituitur tum ex contradictoriâ & contrariâ, tum etiam ex subalternante & subalternatâ. Ex contradict. si particula negans signo præponatur. Ex contrariâ: Si copulæ. Ex subalt. si & signo & copulæ præmittatur. Quicquid enim particula negans post se invenit, ei contrariam naturam indit. Si itaq; signo, mutat & quantitatem & qualitatem. Si copulæ qualitatem. Si & signo & copulæ: & quantitatem & qualitatem, Quod tamen non simpliciter asserendum, sed addendum, 1. Nisi sequatur alia particula negans, quæ resistit præcedenti particulæ neganti, ut quidem tollatur quantitas, qualitas autem maneat intacta. 2. Addendum, ut ad copulam pertineant illæ particulæ, aliâs falsissimum. Et tum valet illa regula jam diu communiter recepta: Si numerus particularum negantium sit par, propositio pro affirmante: Sin, puta, si non ad copulam pertineant, pro negante est habenda.

LIV. Improprie dicta Æquipollentia, non rerum, sed propositionum, oritur ex permutatione terminorum infinitorum cum finitis. Hoc modo æquipollent improprie Universalis affirmans finiti prædicati & Universalis negans infiniti prædicati. Item, particularis affirmans finiti prædicati & partis. negans prædicati infiniti. Et alia, quæ usus docebit, & quilibet exercitatus in his æstimabit. Res autem vix aliquam habet difficultatem, modò hanc Regulam sciamus: Negatio unius termini contradictorii importat affirmationem alterius, & vice versa. Ita rectè dicis: Si omnis homo est non lapis. E. nullus homo est lapis. Si enim non lapis affirmatur de O homine lapis de O homine removetur, & per consequens. Nullus Homo erit lapis dicendus. Ita Omne non doctum est non homo, rectè inferis E. quod non est doctum non est homo. Sequitur, inquam, posterior ad illam: non enim planè æquipollent: unde etiam dicitur

tur

tur consecutio infinitarum ad finitas. Et hæc est *Æquipollentiarum*
συζυγία.

L V. Conversio, ἀντιστροφῆς, cum salvâ Veritate ex subjecto enunciationis sit prædicatum, & vice versâ. Statuitur autem triplex, simplex, per Accidens & contrapositionemi. Ista retinet qualitatem & quantitatem, quâ Universalis negans & particularis affirmans convertuntur. Illa retinet qualitatem, sed mutat quantitatem, quâ convertitur Affirmans Universalis. Hæc loco finitorum, habet terminos infinitos, quâ Universalis affirmans & particularis negans convertuntur. Si enim dixerò : Omnis homo est Animal. E. Omne non animal est non homo, quæ illi æquipollent, quod non est Animal non est homo. Quidam homo non est doctus. E. Quoddam non doctum non est non homo. Ratio primæ conversionis : quia duo disparata, quæ nullâ ex parte conjungi possunt, à se invicem removentur, & quemadmodum subjectum in parte solum ponitur, ita quoq; prædicatum. De particulari negante aliter philosophandum. Ratio secundæ conversionis : quia ut plurimum subjectum angustius est prædicato. Ratio tertie conversionis : quia de quocunq; universalius de eo & angustius negatur, ut supra etiam quamvis diversis, verbis, fuit explicatum.

L VI. Ne vero in his, in quibus facilis lapsus est, cum aliis labamur, nonnullas regulas non parùm allatas affectiones illustrantes afferemus. De Oppositione : Oppositio contradictoria in plurali numero non est admittenda, nisi negatio præfigatur. Omnia entia sunt creata, quod falsum. Ut enim Deus ter. opt. ter. max. est ens independens, ita & increatum. Quædam entia non sunt creata, quod iterum falsum, cum unum sit ens increatum. Rectè autem hæc contradicit : Non omnia entia sunt creata. De consecutione Infinitarum : Prædicatum negativæ sit simplex i. e. non contineat plures terminos. Ita non sequitur : Petrus non est homo doctus. E. Petrus est non homo doctus, quod duplicem admittit sensum : Totum prædicatum infinitæ, non particula ejus infinitetur : Non valet consequentia de præterito, seu, ubi per copulam est ponitur fuit : Non debet particula reduplicativa adhiberi : Nec sint modales latè sumendo modalia. De *Æquipollentiâ* porrò : Quando duo
adsunt

235

adsunt signa negativa, prius in subjecto, posterius in prædicato, pro primo ejus contrarium, pro secundo signo ejus contradictoriū est ponendū. Ita sit dico: Nullus homo est nullū Animal, Nullus homo nusquam errat, rectè dixeris, Omnis homo est aliquod Animal, O. homo aliquando errat. Interdum esse ad sensum respiciendum, & tum voces aliter disponendas. Ex operibus legis non justificabitur omnis caro i.e. Nullus homo h. e. nulla caro justificabitur ex operibus legis. De conversione: In quibus propositionibus subjectum est pronomen, illæ juxta Tartar. videntur non posse converti, & si converti possint, quem usum habebunt? Eadem difficultas est de propositionibus, quæ cōstant ex obliquis casibus, nisi reducantur ad rectos: ut maneant iidem termini. quod in suppositione docetur: ut sint categoricæ: ut ab unâ ad alteram valeat consequentia: ut prædicatum totum sit totum subjectum alterius: ut adjectiva in participia & nomina substantiva resolvantur. Ita si dico: Nulla essentia divina generat. E. nullum generans est essentia divina. Mala est conversio, cū contra Regulas Conversionis bonæ hæc conversio sit instituta. Quibus alia addi possent, quæ Eruditus relinquemus.

COROLLARIA.

An Doctrina de Subalt. Oppos. Æquipoll. Convers. sit neceß. ad Logic. Aff.

An Oppositionū Divisio sit exacta. Aff.

An Univoci in Univocata. Neg. Quæ magis inter se pugnent. Contrad.

An Contradictoriarum una sit semper vera altera falsa. Aff.

Quid de futuris contingentibus sentiendum. Disting.

An Equipollentia etiam in plurali numero bene procedat. Non usq; quæq;.

An Equipollentia Propositionum Materialis ad Logicam referenda. Neg.

DISPUTATIO V.

De

PROPOSIT. MODALIBUS ET
CONJUNCTIS.

Resp. HENRICO-JULIO HOFFMANNO, Helmstadi.

LVII. Hactenus de Absolutâ: sequitur Modalis Enunciatio,

C

quam

quam specie differre ab absolutâ arbitramur: quod enim absolutâ absolutè, illud modalis cum certâ determinatione affirmat. Et dicitur aliàs illa determinatio Modus. Hinc duo in omni Modali Enunciatione distinguenda, Modus & Dictum. Illud sive nominaliter, sive adverbialiter proferatur, determinat. Hoc, ut ita loquar, determinatur. Modi germani numerantur quatuor: Necessarium, Contingens, Possibile, Impossibile. Primum dicitur, quod non potest non esse. Secundum, quod potest esse & non esse. Possibile, quod potest esse. Impossibile excludit possibilitatem. Quibus Petrus Hispanus, Occam & alii annumerant alios modos, quos vel planè non esse modos, vel cum veris modis coincidere æstimamus: siquidem vel dicunt limitationem propositionis, vel habitudinem totius Enunciationis ad rem enunciatam. Si prius, cum cæteris coincidunt modis. Si posterius, ad absolutas referuntur.

LVIIX. Quantitas Modalium duplex, aut ratione Modi, aut ratione Dicti. Ratione modi Universales sunt Necel. & Imposf. Particulares Contingens & Possib. sed extra æquipollentiam. Quemadmodum enim illi modi omne tempus, sic hi non omne complectuntur.

LVIX. Qualitas itidem duplex, aut ratione modi, aut Dicti. Illa, cum Modus affirmatur vel negatur, quod ex superioribus de particulâ negante recolendum. De Dicto ex absolutis iudicetur.

LX. Oppositio Modalium ita sese habet. Fiunt contradictoriæ in propositionibus singularibus, si modus negetur & dictum maneat intactum. Contrariæ, si modi universales ejusdem qualitatis & dicta contradicentia. Subcontrariæ, si modi iidem particulares eadem qualitate præditi dicta habeant contradicentia. Ubi semel pro semper observandum, τὸ Contingens ἐνδεχόμενον, non tam hîc, quàm alibi ut plurimum possibili æquipollere, quod contradistinguitur contingenti ad utrumlibet, ut loquuntur. Sin, adeo malignantis naturæ, ut, referentibus eruditissimis, vix certis regulis possit includi, ideoq; in illis cautissimè procedendum, ut infra circa eorundem Conversionem audiemus. Quòd si Dictum sit commune, plus iudicii adhibendum, potissimum, si in contraria & subcontraria incurramus. Quòd si semel à verâ, quod ajunt, januâ aberremus, datur

2
datur processus in infinitum. Contradictoria fiunt, si modi iidem & dicta eadem, tantum negandus modus, cum affirmatur. Contraria habent modum eundem universalem & subcontraria particularem: sed dicta in propositionibus Necessariis vel contradictoria vel contraria, nunquam subcontraria: in cæteris, puta, possibilibus, contingentibus & Impossibilibus contradicentia & subcontraria, nunquam contraria. Ita enim oppositio instituitur, ne duo contradictoriè opposita simul vera, vel simul falsa, contrariè, simul vera, subcontrariè, simul falsa orientur, quod supra satis clarè expressum. Indefinita & singularia ad contradictoria referuntur.

LXI. *Æquipollentia*; si propriam propositionum spectemus (consecutio autem illorū ex propria *Æquipoll.* iudicetur) ita exoritur. Primò, ut modi conveniant in quantitate, sive particula Non præponatur, sive omittatur: pari enim jure modales ac absolutæ ad particulam negantē in parte licet astringuntur. Secundò, Dicta propositionum de possibili contingenti & impossibili Necessarii Dicto contradicant. Non necesse est Nullum hominē esse Animal: Contingit, quendam hominem esse Animal &c. Ubi in primo exemplo duæ particulæ ad copulā negantem pertinentes affirmant, & quia prior præmittitur modo Necessario tollit ab eo Universalitatem. In secundo ob eandem rationem tollitur Impossibilitas. In tertio verò modus Contingens Possibili æquipollet, aliàs falsissimū esset, ut ita omnes æquipolleant huic: possibile est, quendam hominem esse Animal, quod erat in quæstione. De Subalternatione, quæ præmittenda fuisset, quia nullum facessit negotium, Absolutæ consulantur.

LXII. Sequitur *Conversio Modalium*, in quā multi hæctenus descendarunt. Nos multa paucis continentes ita rem aggrediemur. Conversionem de Modo affirmato Necessarii, Contingentis & Possibilis ad modum absolutarum esse instituendam. Quod si contingens non æquipolleat possibili, ut rem, quantum fieri posse videtur, adumbremus, sequentes Regulæ observentur: universalis affirmativa de modo affirmato convertitur per accidens: Universalis negativa tantum per accidens: particularis, sive negans sive affirmans, simpliciter. Contingens de modo negato in oppositam mutanda, non per conversionem. Quod si modi negantes, juxta hæc

C 2

præce-

præcepta procedamus: Universalis affirmans, nec simpliciter, nec per accidens translocatur: Universalis negans in universalem negantem: Particulares affirmans in particularem affirmantem: Particularis negans convertitur in universalem: Non impossibile juxta Possibile, & impossibile juxta non possibile examinandum. Causa, quòd ita conversio Modalium instituenda, quia aliàs conversà verà falsa existeret convertens, quod est omittendum. Pleraq; hæc Comnimbrienses, qui etiam eruditè ad objectiones contra modum hunc propositiones modales convertendi allatas responderunt. Et hæctenus de omnibus ad absolutas Enunciationes pertinentibus: hypotheticas subjungemus.

LXIII. Quòd sit hypothetica ex aliis Enunciationibus conjuncta, ex æquipollente, quam habet, satis clarum. Et quamvis plerumq; ex simplicibus componatur, non mirum videatur, si etiam ex conjunctis aliis componatur: quod vel ex unico exemplo manifestum: Si homo est Animal, erit vel rationale, vel irrationale. Habet autem tres species: Hypotheticam strictè dictam seu Conditionalem, Disjunctivam & Copulativam. Ista dicitur, cum duæ enunciationes simplices per Conjunctionem si connectuntur. Illa, cum duæ pluresve Enunc. per particulam disjunctivam Aut, vel, conjunguntur. Hæc, si per particulam & copulantur. Prior vera est, si consequentia vera, non si singulæ veræ. Posterior, si una vera, reliquæ falsæ. Postrema, si omnes simplices veræ. Si enim una est falsa, rejicienda. Unde etiam facilè de earum falsitate judicandum. Qualitas pendet non à simplicibus Enunciationibus, sed earundem connexionem, quod aliquo modo docebit Doctrina de Oppositione. Habet hîc locum tantum Oppositio contradictoria, cum sc. una simpliciter negat, quod altera affirmat, quod fit, si ante totam Enunciationem particula negans reperiatur. Tantum de Conjunctarum Qualitate, & Oppositione: quantitate enim propiè dictâ subalternatione, & Equipollentiâ & conversione ferè destituuntur.

COROLLARIA.

| | | |
|--|----------|---|
| <p><i>An Logica abstinere debeat à Modalibus. Neg.</i></p> <p><i>An hæc propositio, Neceffe est, al-</i></p> | <p> </p> | <p><i>quod doctum est hominem, sit absolute necessaria. Neg.</i></p> <p><i>An hæc conversio: Neceffe est omnè homi-</i></p> |
|--|----------|---|

hominem esse Animal: Necessè est
quoddam An. esse Hom. rationem
Oppos. Mod. evertat. Neg.
An Propositiones absolutæ cum hy-
pothet. cõfundenda. Nullo modo.

An plura genera conjunctarum
Enunc. Negatur. Et si excogita-
ri possint, nullam in Logick habent
utilitatem.

DISPUTATIO VI.

De

PROPOSITIONIBVS EXPONI- BILIBUS ET VOCUM SUPPOSITIONE.

Resp. DANIELE SCHULTETIO, Bardo Pomerano.

LXIV. Cæterùm, quia non tantùm passim propositiones expo-
nibiles reperiuntur, sed etiam voces pro hâc vel illâ significatione
supponuntur, addendum erit omnino aliquid de illis: tum demum
enim omnia ad secundam Logices partem pertinentia pro instituti
nostri ratione erunt absoluta.

LXV. Exponibilis propositio, sic dicta, quòd indigeat explica-
tione, ad quatuor species revocatur: Alia enim est Exclusiva, Alia
Exceptiva, Alia Reduplicativa, Alia Comparativa. Excluf. signum
exclusivum habet, solus, unicus, solus &c. Et dividitur in exclusivam
exclufi subjecti & exclusivam exclufi prædicati. Prioris generis ex-
emplum sit hoc: Solus homo est Animal rationale. Posterioris:
Prædicabilia sunt tantùm quinq;. Quarum negantes sunt: Non
solus homo est Animal. Tantùm Prædicabilia non sunt quinq;
vel particulam negantem ipsi Enunciationi vel copulæ præponen-
do. Quòd si affirmantes sint, ita exponantur: Homo est rationalis
& quod non est homo non est rationale, non sigillatim illas su-
mendo propositiones. Posterior ita: Prædicabilia sunt quinq; &
non sunt alia quàm quinq;. Si negantes: Homo non est Animal,
nec quod non est homo non est Animal. Si enim Homo non est
Animal, non sequitur, quod non est homo non esse Animal. Et
Homo quidem est Animal, sed tamen aliquod, quod non est Ho-
mo, est

mo, est Animal. Posterior ita: Prædicabilia non sunt quinq; & omnes res, quæ non sunt prædicabilia, sunt quinq;.

LXVI. Exceptivæ signum habent exceptionis, cujusmodi sunt præter, nisi, quæ usus docebit. Et sunt iterum vel affirmantes vel negantes, sed omnes Universales, ut satis manifestum. Omne Animal præter Hominem est brutum i. e. Homo est Animal, Homo non est brutum, & Omne Animal, quod non est homo est brutum. Nullum Animal præter Hominem est rationale i. e. Quoddam Animal est rationale, Homo est Animal, &, Nullum Animal, quod non est homo, est rationale.

LXVII. Reduplicativæ signum reduplicativum habent h. e. quatenus, quæ, secundum quid &c. Et quia particula reduplicativa dicit vel causam connexionis, vel necessariam tantum connexionem, vel deniq; modum considerandi, sic non eodem modo explicantur. Primi exemplum sit hoc: Homo quatenus rationalis est risibilis, & ita exponitur: Homo est rationalis, Homo est risibilis, & rationalitas est causa risibilitatis. Secundi sit hoc: Homo quatenus est risibilis est disciplinarum capax, quæ sic exponenda: Homo est risibilis, Homo est disciplinarum capax, &, Quod eum facit risibilem, hoc eum facit capace[m] disciplinarum. Postremi; Ens quatenus Ens est subiectum Metaphysices: Ens est subiectum Metaphysices, nec aliter. Ens in Metaph. quàm ratione Entitatis consideratur.

LXVIII. Comparativæ habent signum Comparisonis. Petrus est doctior Paulo. Circa quam Doctrinam ante omnia observandum, comparisonem inter illa extrema, quorum utrumq; istius rei capax, esse instituendam. Affirmantes ita exponuntur: Petrus est doctior Paulo. Petrus est doctus & Paulus est doctus, sed Petrus Paulum superat Doctrinâ. Malè: Petrus est doctior lapide. E. Petrus est doctus, lapis est Doctus. Malè inquam, & sic consequenter. Negantes: Lapis non est doctior ligno: Lapis non est doctus: lignum non est doctum; nec lapis superat lignum Doctrinâ. Nulla scientia magis nos certificat de Divinitate Christi, quàm Magia & Cabala. Erat thesis aliqua ex nongentis illis, quas Romæ vir ille summi iudicii Johannes Picus Mirandula eâ conditione publicè affixit, ut ipsius Miranduli sumptibus docti ex universo orbe terrarum eò confluerent, & pro illarum Veritate disputarent. Hanc ut hæreticam quidam

dam ex malè feriat Pontificiis accusabant. Quicquid illi statuerint cum ipso Mirandulano, nos illam ita resolvemus. Non certificat nos de Divinitate Christi Magia: Nec Cabala: nec magis illa, quam hæc h. e. Nulla ex his nos certificat de Christi Divinitate. Sed modicè omnia tractanda. Et tantum de Expositione: sequitur Suppositio Vocum, quæ egregium usum affert ad eruditè disputandum.

LXVIX. Est autem Suppositio vocis, potissimùm subjecti, certa acceptio. Et quia Vox sumitur pro materiali vel formali, sic illa dicitur Suppositio materialis. Hæc formalis. Porrò, quia subjectum potest esse vel singulare vel commune, sic formalis dividitur in singularem & communem. Communis deinde despicitur in simplicem & personale. Illa supponit pro immediato suo significato: hæc pro inferioribus. Et differunt, quòd hæc admittat signa: illa Non. Et in hæc descensus observandus: ibi omittendus. Deniq; alia Naturalis, alia accidentalis. Illa, cum Vox sumitur pro significatis suis, quæ suâ Naturâ citra alterius respectum significat. Hæc supponit pro eâ significatione, quam Enunciationis Natura & constructio admittit; Unde & rectè dicitur Accidental. e. g. Aaronis baculus deglutivit baculos Magorum i. e. Draco, qui paulò antè fuit baculus, deglutivit baculos, i. e. Dracones, qui antè fuerant baculi. Item: Omnia subjecit sub pedibus ejus, excepto eo, qui subjecit omnia. Qualia exempla ferme infinita non tam in profanis quàm sacris scriptis perhibentur.

LXX. Per descensum intelligunt hîc non nisi enumerationem inferiorum. Et quia diversitas quædam necessariò occurrit in descensu ob illam suppositionem, quadruplex communiter reperitur. Copulativus, Copulatus, Disjunctivus, Disjunctus. Copulativus fit per particulam Et copulativè sumptam i. e. integras Enunciationes connectentem. Quo descensu Universalis Affirmans distributivè sumpta & Universalis Negans resolvuntur. Hoc modo: O. homo est Animal. Et hic homo, Et ille homo, Et iste homo &c. Nullus homo est Animal. Et hic homo non est Animal, Et ille homo non est Animal, Et iste non est Animal. Copulatus fit per eandem particulam sed copulativè i. e. tantùm enunciationum partes connectendo. Quo descensu utuntur propositiones, quibus Universalis Affir-

Affirmans collectivè sumpta est præfixa. Omnia elementa sunt quatuor i.e. & hoc elementum, & illud & istud &c. sunt quatuor, non distributivè, sed collectivè. Disjunctivus fit per particulam vel, aut, sive &c. Disjunctivè acceptam h. e. totas enunciationes disjungentem, quæ in particularibus, tam affirmantibus, quàm negantibus observanda. Quidam homo est doctus. Aut hic homo, aut ille, aut iste. Quidam homo non est doctus. Aut hic homo non est doctus, aut ille &c. Disjunctus fit per particulas easdem, sed disjunctim acceptas i. e. partes Enunciationum disjungentes, quo utuntur particulares & indefinitæ, vocem Necessè vel necessarium possidentes. Oculus necessarius est ad videndum. Non ita descendimus: Vel hic, puta sinistrum, vel iste, puta dextrum, est præcisè & disjunctivè necessarius ad videndum. Sed ita: Hic vel ille est necessarius, intelligendo illud quasi collectivè.

LXXI. Et hæc est Doctrina de suppositione, quæ non tam in Philosophiâ, quàm Theologiâ suas meretur laudes. Quod vel ex unico hoc Syllogismo luce meridianâ clarius: Qui non gignit, nec gignitur, nec procedit, non est verus Deus: At unus Deus in essentiâ non gignit, nec gignitur, nec procedit. E. Unus Deus in essentiâ non est verus Deus. Conclusio est absurda. Minor vera. Et Major non potest negari. Certè, si neglectâ formâ ad materiam te conferas, ex Theologiâ facilè respondeatur, sed hoc non est boni Disputatoris, ad materiam respondere, si in formâ occurrat *ἀσυνλογισία*. Bellarmino contra Valentinum disputanti, dum conatur hunc nodum solvere, infeliciter res processit. Nos ex Doctrinâ de Suppositione respondendum esse omninò arbitramur.

COROLLARIA.

An illa Diss. Logico neceß. Aff.
 An ad secund. part. refer. Aff.
 An plures species Exponibil. Neg.
 An descensus ille sit neceß. Non simpliciter.
 An in descensu semper sint Individua enumeranda. Neg.

An pluribus modis Suppositio varianda. Neg.
 An Suppositio etiam ad Tertiam partem referenda. Suo modo.
 An alia disciplina, sive sint Superiores, sive inferiores, extra modum loquendi de Expositione maneant perfecta. Quidni?

DISP.

DISPUTATIO VII.

De

SYLLOGISMO IN GENERE,
ET INSPECIE DE SIMPLICIUM
FIGURIS PERFECTIS ET MODIS.Resp. *ESAI A Koerhandt / Brunsv.*

LXXII. Prioribus duabus Logices partibus absolutis, ad tertiam de Syllogismo nos conferemus. Et quia Syllogismus formaliter & materialiter consideratur, formalem Materiali considerationi præmittemus. Quò pertinet Syllogismi natura generalis, quæ absolvitur potissimum ejusdem Definitione, Definitionis explicatione, Divisione, partibus & syllogismi fundamento &c. quàm excipit tractatus Syllogismi specialis, de figuris, modis, Expositione, Reductione &c. quorum maximam partem hæc Dispositione absolvemus.

LXXIII. Syllogismus est oratio, in quâ quibusdam positis diversum quid à positis sequitur ex Necessitate τὸ ταῦτα εἶναι, eò, quòd illa posita sunt. Genus est Oratio, λόγος, sive mente concipiatur, sive voce exprimatur, quibus à noto ad ignotum transimus. 1. Pr. c. 33. & alibi. Differentia absolvitur quinque positionibus 1. ἐν ᾧ πινῶν, in quo quædam sunt. 2. Τεθέντων, certo modo posita. 3. ἐτερόν τι τῶν κειμένων συμβάσει, diversum à positis sequitur. 4. ἐξ ἀνάγκης, ex necessitate. 5. Τὸ ταῦτα εἶναι, propter illa, quæ posita sunt: quæ omnia Aristot. in prior. Analyticis, ejus Interpretes & alii sexcenti eruditè pertractarunt.

LXXIV. Dicit Quædam: Non enim una propositio sufficit ad Syllogismum, ut infra audiemus. Pergit, Posita; Non tantum enim propositiones debent adesse, sed certo & legitimo modo sint posita. Subjungit: diversum quid à positis: quia nihil per se ipsum demonstratur: Addit, ex necessitate: quod est de necessitate formæ intelligendum, quo simul falsi à veris Syllogimis respectu formæ discernuntur. Concludit, Eò, quòd hæc sunt: quia conclusio propter præmissas sequatur. Post. c. 1. nec terminus aliquis foris ad inferendam necessitatem adhibendus.

D

LXXV. Di-

LXXXV. Dividitur autem Syllogismus respectu formæ in perfectum & imperfectum. Ille dicitur, qui nullo alio eget ad illationem necessitatis. De Imperfectis contrarium est dicendum, quod etiam, sed fortassis non ita propriè, referuntur secundæ & tertiæ figuræ Syllogismi qui ideo ad primam reducuntur, ut eorum necessitati major lux oriatur.

LXXXVI. Partes Syllogismi aliæ integrales, aliæ essentialis. Hæ constituunt ipsam essentiam & sunt Forma ac Materia. Illæ non constituunt, & sunt vel proximæ vel remotæ. Ad illam propositiones, ad hanc termini referuntur. Quorum totidem sunt, quot Propositiones in Syllogismo, puta tres, non plures, non pauciores. Et probatur ita: Omnis Syllogismus est propter conclusionem seu problema, quod est probandum. Quod ut rectè perficiatur, sive fiat affirmando, sive negando, assumitur medium, quo vel connectuntur vel remouentur prædicatum & subjectum propositionis demonstrandæ. Quem in finem necessariò requiritur, ut cum extremo utroq; jungatur. Unde & illud axioma Logicum: Medium bis poni ante conclusionem. Quod si jam medium cum utroq; extremo jungitur, & illa inter se connectuntur: sin, à se invicem remouentur. Unde tres termini & tres propositiones oriuntur, ut paulò intelligentioribus manifestum.

LXXXVII. Fundamentum Syllogismorum non est figmentum aliquod Philosophicum, ut multi ex vulgo eruditorum sibi falsò persuaserunt: sed est principium infallibile à Deo profectum & ab Hominiibus animadversum. Fundamentum affirmantium est hoc: Quicquid prædicatur de Omni, hoc etiam de cunctis, quæ sub illo continentur, prædicatur. Ita, quia τὸ Animal de Omni homine affirmatur, etiam de Petro, Paulo, Conrado &c. affirmatur: cum τὸ Omne distributivè h. e. pro omnibus inferioribus sumatur. Negantium sit hoc: Quicquid remouetur ab omni, idem etiam à cunctis, quæ sub illo continentur, remouetur. Ita si Nullus homo est lapis, nec Petrus, Paulus, Conradus dicendi lapides, cum sub homine collocentur. Et horum principiorum tanta necessitas, ut nullo modo citra contradictionem contrarium possit affirmari.

LXXXIX. Præmissis igitur illis, ad figuram & modorum rationem, in quibus ferè cardo hujus Disputationis vertitur, abeamus.

Figura

Figura oritur ex Medii termini cum extremis dispositione. Modus pro varietate Qualitatis & Quantitatis variatur, Et quia triplex est Medii Dispositio, tres inde species figurarum oriuntur. Aut enim est subiectum in Majori & prædicatum in Minori. Aut utrobique prædicatum. Aut denique tam in Majori, quam minori subiectum. Si prius Prima. Si posterius, Secunda. Si postremum, Tertia inde figura derivatur. Modorum diversitas inferius exponetur.

LXXXIX. His jam explicatis, antequam ad ipsas Figuras accedamus, nonnullæ Regulæ tribus figuris communes præmittendæ. Prima: Bona forma est, quæ semper verum sequitur ex veris præmissis: Sin, contrarium affirmandum. Secunda: Conclusio vera sequatur ex præmissis. Tertia: Ex puris particularibus nihil sequitur. Quarta: Non adsint plures termini in Syllogismo, quam tres. Quinta: Ex puris Negantibus nihil concluditur. Sexta: Conclusio partem debiliorem semper imitetur & si sunt similes. Prima concluditur inde: quia Dicitur de O. & N. hoc non admittit. Secunda: quia Conclusio vera est Virtute præmissarum. Tertia: quia quæ in uno tertio conveniunt, non statim inter se conveniunt, sive accedere etiam malis Dicitur de O. & N. Quarta: Quia medium eodem modo cum utroque extremo jungendum: Sin, non est causa conclusionis. Quinta: Quia Medius terminus debet esse causa conclusionis, quod non fiet, nisi cum uno extremorum jungatur. Sexta: Quia infirmius non potest producere præstantius, vel, si malis, quando medius terminus de alterutro extremorum removetur, etiam illa extrema in conclusione de se invicem remonentur.

LXXX. Prima figura est, ut supra dictum, quando Medius terminus in majori subicitur & minori prædicatur. Quia verò quatuor Modis Medius terminus cum legitimâ qualitate & quantitate in Syllogismo ponitur, ut naturaliter & necessario inde problema concludatur, Modi quatuor primæ figuræ inde oriuntur. Quorum primum Philosophi docendi causâ Barbara, secundum Celarent, tertium Darii, quartum Ferio, appellârunt. Quæ voces quamvis barbaræ & minus in latinitate receptæ, egregium tamen usum habent in Syllogismo, quod vel in Reductione manifestum, licet non simpliciter sit necessarium, voces illas adhibere. A autem denotat

Universalem aientem. E. Universalem Negantem. I. particularem affirmantem. O. particularem negantem. Et semper prima vocalis denotat Majorem : Secunda minorem : Tertia conclusionem. Ita Omnis homo est Animal. Omnis Petrus est Homo. E. O. Petrus est Animal. Syllogismus est in primâ figurâ, siquidem medius terminus est Subjectum in Majori & in Minori prædicatum. In specie est in Barbara, quia Major est Universalis Affirmans, Minor itidem & conclusio: siquidem universaliter prædicatû in omnib9 esse affirmatur.

LXXXI. Sed dices : Si pro Varietate Quantitatis & Qualitatis Modi Figuratum variantur, non quatuor, sed longè plures esse ponendos. Fateamur necesse est, pluribus Modis illam variationem posse institui, cum in singulis modis 36. modi & variationes observentur, sed suprâ non sine gravissimis causis addimus, requiri, ut necessariò sequatur conclusio ex præmissis ob illam dispositionem terminorum. Quot modis itaq; hoc verum, tot Modi constituendi. Quia verò in primâ figurâ quatuor modis hoc Verum. E. Maj. vera. Minor ex inductione exemplorum.

LXXXII. Hujus Figuræ proprium est 1. Ut major sit Universalis. 2. Ut Minor affirmans, quorum utrumq; ex Dicto de Q. & N. demonstrandum. Tantùm notandum, non statim Minorem esse negantem, si particula Negans ad copulam quasi pertinens ibi reperiatur. Accidit hoc toties, quoties particula illa in Majori infinitè posita repetitur in Minoris descriptione, si vè Major fuerit Negans si vè affirmans, tum enim, si particula negans hîc repetatur, non est finita, sed infinita, non Negans, sed Affirmans. Fundamentum infinitorum est hoc: Quòd talis terminus, qualis fuit in Majori, vel in Minori, in conclusione respectu ipsarum Figurarû repetendus. Sin, quatuor termini oriuntur. Quo jure etiam gaudent Syllogismi singulares, qui aliàs etiam quatuor enumeratis modis in primâ figurâ, & reliquis figuris pro dispositione Medii termini accensentur.

LXXXIII. Adduntur quatuor recensitis Modis quinque Indirecti, quos Theophrastus, referente Alexandro, excogitavit. Vocantur ita: Baralipson, Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisefomorum, quorum vocales directorum valorem retinent, si syllabæ ultimæ in baralipson & Frisefomorum excludantur. In primo modo e.g. O.
homo

homo est Animal. O. Petrus est homo. E. Quidam homo est Petrus. Ut dicamus, quod res est, dicendum omnino existimamus, hos modos non naturaliter & directè concludere, sed indirectè. Et si de nostro aliquid addendum, vel verbulo dicemus, fundamentum consequentiæ Indirectorum ex Doctrinâ de Conversione esse assumendum. Ita si directus modus ita concludat: Omnis Petrus est homo: Indirectus modus illam per accidens convertit. Ita in Celantes sit conclusio hæc: Nullus lapis est homo. Pro hæc ejus convertens ponitur: Nullus homo est lapis, quia Universalis Negans simpliciter convertitur, quod supra in Conversione demonstratum.

LXXXIV. Secunda figura habet etiam quatuor Modos, qui necessario concludunt. Vel enim Syllogismus concludit negantem conclusionem universalem ex duabus Universalibus, priori negante, affirmante posteriori Hinc Cesare. Vel rursus ita concludit ex Majori agente universali & Minori negante Universalis. Hinc Camestres. Vel concludit particularem negantem ex Majori Universalis Negante & Minore particulari Affirmante. Hinc Festino. Vel deniq; concludit particularem negantem ex Universalis Affirmante & Minore Negante. Hinc Baroco. De quâ hæc Regula observanda. 1. Major semper sit Universalis, sive affirmans, sive negativa. 2. Conclusio sit negativa. 3. Ex puris Affirmantibus nihil concludendum. Probatur quoad prius: Si Major non est Universalis, sed particularis, minor erit Universalis, aliâs contra generales Regulas Syllogismi ageretur. Hoc posito, à particulari ad Universale procedendum. Quod si hoc fundamentum negetur, alia ratio est in promptu: Minor in majori contineatur, aliâs nunquam de minori removebitur, quod de Majori fuit vel negatum vel affirmatum. Quoad posterius. Quia disparata hæc de se invicem remouentur. Nec valet hæc illa Regula: Quæ in uno tertio communi conveniunt inter se convenire. Postremum ex eodem fundamento.

LXXXV. Tantum restat, quid de Syllogismis Infinitis secundæ figuræ sentiendum. Certè si non Major, certè non minor hæc difficultas, quàm in primâ figurâ reperitur. Respondendum autem, particulam illam negantem, quæ infinitat Majorem, hæc repetendam in conclusione ob supra datam rationem. Rectè itaq; con-

D 3

cludo:

cludo: Quicquid non sentit non est Animal. Bos est Animal. E.
Bos non est non sentiens, & ex ejus æquipollente: Bos sentit, ut su-
prà dictum de Consecutione Infinitarum.

LXXXVI. Tertia habet VI. modos: Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison, quorum certitudo ex superioribus demonstranda. Quòd si enim vel tantum semel mala consequentia inferretur, hi modò ex Choro Modorum essent proscribendi. Et habet hæc figura has Regulas: Minor sit affirmans: Conclusio particularis: Prius ex Dicto de O. & N. demonstratur. Posterius: quia in hæc figurâ ab angustiiori ad communius procedendum.

LXXXVII. Explicandû restat, quid de Quartâ Figurâ sentiendum & quæ consequentia, quam diximus esse necessariam, hic intelligatur. Diximus suprâ, reperiri in primâ figurâ Syllogismos indirectè concludentes, ad hos illam referendam esse arbitramur, ut pluribus erudite Zabarella lib. quarto de Syllogismorû figurâ plurimis contra Galenum demonstravit. Ad secundum: Non necessitatem Consequentis h. e. quæ est à materiâ, sed Consequentia h. e. quæ fluit ex dispositione Medii termini & justâ positione quantitatis & qualitatis, esse intelligendam. Quibus aliquando absolutis, telam Disputationis in medio quasi cursu abrupimus.

COROLLARIA.

An simpliciter verum sit, nihil sequi ex puris particularibus. Neg.

An Major in primâ figurâ semper debeat esse affirmans. Aff.

An Quartâ Figura necess. Illatio. Aff.

Quid de Syllogismis Infinitis sentiendum. Nullo modo rejiciendi.

An etiam in illis Dictum de O. & N. reperiatur. Omnino.

An Dictum de O. & N. sit Fundamentum Syllogismorum infallibile. Affirm.

Quid itaq; de illis sentiendum Syllogismis, qui destituuntur Dicto illo. Rejiciendi.

An Conclusio sit pars Syllogismi. Affirm.

An Medius terminus possit ingredi conclusionem. Nullo modo, si bona sit illatio.

An plures possint esse Figurâ & Modi. Neutrum.

Quid itaq; de cæteris modis judicandum. Explodendi.

DISP.

DISPUTATIO VIII.

De
**EXPOSITIONE ET REDU-
 CTIONE SYLLOGISMO-
 RUM.**

Resp. NICOLAO REUSNERO, Wismar.

LXXXIIX. Haecenus de Figuris & Figurarum Modis: Quibus Aristoteles subjunxit Expositionem *ἐπιθεωρῶν*, aliàs vulgò dictam Syllogismum Expositorium, quòd sc. Syllogisticam terminationem imitur, per quam intelligunt formam aliquam concludendi seu syllogismum, cujus beneficio consequentia tertiæ figuræ adhibito medio singulari demonstratur. Unde etiam, quo iure Expositio in Logicis tradatur, facile colligendum. Ita: Omnis homo est Animal: Omnis homo est Substantia. E. quædam Substantia est Animal. Rectè ita exponitur: Petrus est Animal. Petrus est Substantia. E. quædam substantia est Animal. Rectè, inquam, ita inferitur. Si enim Omnis homo est Animal. Petrus est Animal. Et si Omnis homo est Substantia, etiam petrus est Substantia: quia Petrus subsumitur ut pars sub toto. Unde si rectè à priori concluditur: quod quædam substantia sit Animal, etiam à posteriori, eadem conclusio per Expositorium & evidentem Syllogismum concludetur. Et sequitur, inde etiam Expositionem nihil aliud esse, quàm Syllogismum ad sensus provocantem, ut consequentia tertiæ figuræ demonstraretur. Sed ante omnia notandum, ut integrè Extrema in conclusione repetantur. Quòd si enim in parte repetantur, in absurdissimos errores incidemus. Ita non sequitur: Hi credentes sunt templum Spiritus S. Hi credeutes sunt templum Filii & Patris. E. Filius & Pater sunt Spiritus S. Forma vacillat. Tantum de Expositione.

LXXXIIX. Cæterùm, quemadmodum Expositio tertiæ figuræ ancillatur: Ita Reductio & secundæ & tertiæ figuræ egregias affert utilitates, dum earum perfectio hoc medio elucescit. Unde 1. pr. c. 7. Reducere nihil aliud est, quàm Syllogismum secundæ & tertiæ Figuræ

figuræ mutare in primam, ut ejus necessitas palam demonstretur. Et quia hoc duobus solet fieri modis, dabitur alia Reductio ostensiva, alia per impossibile. Illa dicitur, quâ solâ propositionum Conversione & Transpositione syllogismi secundæ & tertiæ figuræ ad primam revocantur. Ubi eadem conclusio eodem Medio retinetur, in primâ, quæ in secundâ & tertiâ ponebatur. Hæc, puta per impossibile, est, cum bonitatem & consequentiam secundæ aut tertiæ figuræ ostendimus ejus contradictoriam assumendo, quod infra clariùs explicetur.

XC. Ad primam Reductionem, ut diximus, duo requiruntur Conversio & Transpositio Propositionum: non, quòd illa duo semper & simul, sed quòd interdum jungantur, ut infra manifestum. Quorû prius in secundâ Logices parte explicatum: posterius autem transpositionem Majoris & Minoris propositionis importat. Deinde præmonendum aliquid de vocalibus a, e, i, o, & consonantibus illis, S. P. M. C. quæ in secundâ & tertiâ figuræ Modis reperiuntur & semper ad præcedentem referuntur. Illarum hîc ordo observandus propter Consonantes: harum S. denotat simplicem conversionem illius propositionis, quæ per vocalem illud S. præcedentem significatur; P. per accidens. M. *metabesin* propositionum. C. sed in medio positum indicat, illum Modum per impossibile reducendum. Tandem & capitales seu initiales literæ observandæ, quæ ostendunt, ad quem modum hi modi reducendi. Ita, sit syllogismus in Camestres: O. homo est Animal: Nullus lapis est Animal. E. Nullus lapis est Homo. Hîc quia prima littera est C, sic ad Celarent reducendus. Quia porrò primæ propositioni præmittitur, Cam: Secundæ es: tertiæ tres: Sic prima transponenda in locum minoris: Minor & conclusio simpliciter convertantur. Et sic consequenter. Tantùm superest, quid de Reductione Baroco & Bocardo sentiendum. Quamvis suprâ à nobis positum fuerit, illos per impossibile reducendos esse, quòd peculiare quid hîc occurrat: tamen, si aliquid de stricto jure concedamus, Baroco beneficio conversionis per contrapositionem ad Ferio, conversâ tantùm, Majori, & Bocardo transpositâ minore, conversâ per contrapositionem Majori & conclusione, unde oritur Darii, reducantur. Ita si dicam: O. homo est Animal. Quoddam corpus non est Animal.

E. Quod-

E. Quoddam corpus non est Homo. Reducitur Syllogismus in Baroco ad Ferio beneficio conversionis per contrapositionem in hunc modum: Quicquid non est Animal non est homo. Quoddam corpus non est Animal. E. Quoddam corpus non est homo. Bocardo ad præscriptum modum reducatur.

XCI. Fundamentum Reductionis ostensivæ in hoc axioma^m te reperitur: Quicquid sequitur ad consequens alicujus Antecedentis, idem sequitur ad ipsum antecedens, præmissâ conversione propositionum, quod consonantes indicabunt. Sit itaq; Syllogismus reducendus: Nullus homo est lapis. Omnis Adamas est lapis. E. Nullus Adamas est Homo. Quia verò hic Syllogismus est in Cesare est reducendus ad celarent, hoc modo: Nullus lapis est homo: Omnis Adamus est lapis. E. Nullus Adamas est Homo. Quòd si jam præmissæ reducendi Syllogismi sunt veræ, etiam reducti erunt veræ, siquidem Universalis negativa simpliciter convertitur. Quòd si verò omnes præmissæ veræ, etiam conclusio reducti erit vera ob Regulam antecedentem. Plura exempla hîc exaggerare ratio propositi nostri non admittit. Ad reductionem per absurdum, abeamus.

XCII. Reductio per impossibile, quæ sine Conversione & transpositione propositionum perfici potest, ita instituat. Assumenda est contradictio conclusionis Syllogismi reducendi, cujus præmissas Adversarius concessit, & conjungenda, alterâ præmissarum relictâ, alterâ assumptâ, cum relictâ præmissarum primæ, quo adversarius eò redigitur, ut vel negare cogatur, quod antè affirmavit: vel concedere, duas contradictorias posse esse simul veras, quod est absurdum: vel deniq; reducendi illationem esse bonam, quod erat in quæstione. Unde etiam facilè debet judicari, quo fundamento hoc nitatur, eo sc. Quòd non tantùm duo contradictoria non possint simul esse vera vel falsa, sed etiam, quòd ex præmissis duabus primæ figuræ legitimè dispositis non nisi vera conclusio proficiscatur. Syllogismus sit hic: N. lapis est Animal: O. homo est Animal: E. Nullus homo est lapis. Quoties jam præmissæ veræ tam in materiâ quàm formâ, totus syllogismus & illatio erit vera; sin, contradictoria ejus assumenda, & simul ita cum præmissâ reducatur?

E

catur?


catur: Nullus lapis est Animal: Quidam homo est lapis. E. quidam homo non est Animal. Quæ conclusio minori præmissi Syllogismi contradicit.

XCIII. Ubi notandum, interdum inferri non contradictorium, sed contrarium in modis Darapti & Felapton. Deinde, Hæc reductione modos ad illos primæ & figuræ, in quibus eadem literæ sunt præfixæ, non semper esse reducendos, sed quibus quantitas & qualitas contradictionis ex imperfecto syllogismo assumptæ respondet, ut in Festino & Darapti est videndum, quorum ille non ad Ferio, sed Celarent, hic ad Ferio reducendus. Deniq; eam præmissam in reducendo esse assumendam, & in perfecto retinendam, ut si propositiones rectè sint constitutæ, inde contradictio respectu alterius in perfecto Syllogismo concludatur.

XCIV. De Indirectis Modis hîc non multum laborandum esse duxerimus. Priores tres ad tres præcedentes primæ figuræ naturaliter concludendo ut supra etiam circa eorundem tractationem dicebatur. Duo reliqui ad Ferio secundum indicium literarum.

COROLLARIA.

| | |
|--|--|
| <i>An Syllogismus Expositorius verus Syllogismus sit. Neg.</i> | <i>An ejus rei Ratio dari possit etiam à priori. Omnino.</i> |
| <i>An simpliciter necessariè in Logicis iradendus. Neg.</i> | <i>An ex particulari rectè inferatur singulare. Aff.</i> |
| <i>An etiam Syllogismi secundæ figuræ per Expositionem probandi Neg.</i> | <i>An semper. Dist.</i> |
| <i>An autem simpliciter necessario in Reductione Syll. illæ litteræ observ. Neg.</i> | <i>An Opponens semper teneatur reducere Syllogismos ad præ figuram, si Respondens velit. Distinguendum omnino.</i> |
| <i>An perpetua Necessitas illativa in illâ Reductione. Aff.</i> | <i>An tantum iradatur propter syllogismos Absolutos. Negatur.</i> |



DISP.

DISPUTATIO IX.

De

SYLLOGISMIS MODALIBUS,
CONJUNCTIS, IMPERFECTIS
ET EXPONIBILIBUS.

Resp. CHRISTOPHORO CAJERO, Lunenburg.

XCV. Dividendum esse Syllogismum in Categoricum & Modalem, circa Tractationem Syllogismi in genere supponebatur. Illum pro compendii ratione cum omnibus sui differentiis & affectionibus esse satis explicatum arbitramur. Hunc in sequentibus assumemus. Et sanè, quamvis tot tantisque difficultatibus involutus, ut multi etiam non infimæ sortis Philosophi hunc tractatum in theatro Philosophico tam ridiculè egerint, ut vix ingressi *περίπαιον*, cum è longinquo spectarent Tractatùs *ἐπίπαιον*, factà lectoribus spe, abjectà personà ex theatro turpiter se proriperent: à nobis tamen nullo modo vel silentio planè involvendus, vel obiter & malè pertractandus, sed quantum rei natura permittit, *ἀκριβῶς* juxta censuram & placitum, non dico, nostrum, sed gravissimorum Philosophorum.

XCVI. Nos itaq; ut propositi nostri ratio habeatur, Præceptoris nostri Cl. Horn. vestigiis ut plurimum insistentes, paucis Regulis universam Rationem Syllogismorum Modalium afferemus, parati respondere ad illa, quæ contra afferuntur. Prima sit hæc: Ex puris absolutè, non quando, ut loquuntur, necessariis sequitur conclusio absolutè necessaria, quod omni nisi planè deturbatus à ratione & sciens volensq; errare velit manifestum. Unde non sequitur: Nec est Omnem Philosophum est Doctum. Nec est Omnem Philosophum esse Hominem. E. nec. quendam hominem esse Doctum: quamvis celeberrimus illi hujus seculi Philosophus jam piè defunctus hoc improbat. Secunda: Ex puris possibilibus seu contingentibus, si præmissæ sigillatim & simul sint possibile h. e. compossibiles & subjectum Majoris in primâ pro iis etiam quæ esse possunt, supponatur, concluditur in omnibus modis possibilis. Hinc

E 2

non

non sequitur: Possibile est Omne currens esse hominem. Possib. est
Quendam eqvum currere. E. possib. est quendam eqvum esse homi-
nem. Conclusio est absurdissima: Materia tam Majoris quàm Mino-
ris est bona. Unde nullum vitium erit in Materiâ. Forma itaq; erit
examinanda. Tertia: Ex puris Impossibilibus non rectè concluditur.
Siquidem modus hic virtualiter negat, qui modi modò habent bo-
nam modo pessimam illationem. Quòd si $\tau\delta$ Impossible æqui-
polleat $\tau\phi$ Necefs. contrarium affirmandum. Quarta. De contin-
gentibus ad utrumlibet certæ regula non possunt dari ob gravis-
simam rationem, quòd ex veris præmissis modò vera, modò falsa
conclusio inferatur propter significationem quasi duplicem, quæ
in voce reperitur. Ita sequi videtur: Contingit omnem doctum
esse bonum. Contingit quendam hominem esse doctum. E. con-
tingit quendam hominem esse bonum. Sequi, inquam, videtur. At
si Dicitur de O. & N. consulamus, vix potest affirmari: siquidem
medius terminus contingenter cohæret cum prædicato & sub-
jecto conclusionis. Quod si exemplum in contrarium afferatur, quæ-
situm nostrum erit ratum: Contingit omne currens esse hominem:
Contingit omne rationale esse currens. E. contingit omne ratio-
nale esse hominem. Non inquam, contingit, cum essentialis sit ne-
xus inter subjectum & prædicatum. Quòd alii negantes hanc illa-
tionem objiciant aliquid de sensu diviso & composito ad infrin-
gendam nostram positionem non possum satispersvaderi. Quin-
ta: Ex Majori de inesse & minori necessariâ cum Aristotele con-
cluditur de inesse in primâ figurâ, non necessaria conclusio. Quòd
si Major in illâ figurâ est necessaria & sensûs divisi, non compositi,
seu secundum quid, necessaria simpliciter concludenda. In secundâ
& tertiâ figurâ res valdè periculosa, si Major præmissarum in secun-
dâ & tertiâ constituatur necessaria, quæ locum majoris occupat in
reductione. Addendum, non esse necessarium absolutum cum hy-
pothetico, nec sensum compositum cum diviso confundendum.
Sexta si major est possibilis aut contingens & minor de inesse sequi-
tur possibilis aut contingens in primâ. Sin Major de inesse, & mi-
nor possibilis aut contingens, nihil sequitur. Septima: cum major
est possibilis aut contingens & minor necessaria in primâ sequitur
possibi-

possibilis aut contingens. Sin ordo ille invertatur, observatis illis quæ toties inculcavimus, sequitur necessaria in primâ & per Analogiam in cæteris. Octava: Quòd si modi sint negantes, modò vera, modo falsa conclusio ex præmissis infertur, unde sequitur, syllogismos de modis negantibus non habere necessariam illationem. Quòd refertur etiam Impossible: Sive Syllogismus constet ex meris Impossibleibus: sive ex mixtis. Non enim necessariò sequitur ex Majori Impossiblei & minori possibili aut contingente, & vice versâ: Nec ex Majori Impossiblei, & minori necessario, & vice versâ: Nec deniq; ex Impossiblei, & de inesse. Reductionem quivis suo Marte facilè conficiet, modò in conversione propositionum summam adhibeat cautionem, quæ suprà ponebatur: unde etiam de illatione secundæ & tertie figuræ judicandum. Et tantum pro institui nostri modulo de Syllogismis Modalibus: quorum Naturam si non omnino perfectam assecuti fuerimus: tamen neq; longè nos aberrasse arbitramur. Quod iudicio acutiorum relinquemus.

XCVII. Hypothetici, cum loco Majoris interdum & Minoris propositionis propositio composita ponitur, sunt in triplici differentia. Alie Conditionales, seu hypotheticæ strictè dictæ. Alie Copulativæ. Alie Disjunctivæ. Istæ dicuntur, quum in Majori aut utraq; præmissarum est propositio conditionalis. Illæ, quarum propositiones sunt copulativæ. Hæ, quarum Major est Enunciatio disjunctiva. Priores duas figuras concludendi habent. Posito antecedente, sequitur consequens. Remoto consequente antecedens removetur. Nec alie figuræ hypotheticarum possunt excogitari. Quarum fundamentum ex doctrinâ de earundem reductione manifestum. Aut enim Syllogismus in primâ figurâ minore negante, aut in secundâ ex puris affirmantibus orietur. Sed notandum etiam, in omni figurâ hîc quatuor modos legitime aliquid concludendi reperiri: Prima habet hos modos. 1. Cum utraq; compositi pars affirmans. 2. Cum utraq; negat. 3. Cum antecedens ait & negat consequens. 4. Cum antecedens negat & consequens affirmat. Secunda easdem admittit. Tantum notandum circa modos secundæ figuræ, quomodo illa remotio constituenda. Certè si vel antecedens vel consequens negat, illa negatio duplicetur vel in assumptione, vel

ae, vel in conclusione, vel utrobique, una propter antecedens vel consequens altera, cujus beneficio consequens removetur. Ita si dico: Si non est homo, non est doctus: Sed non est non doctus: E. non est non homo. Rectè in minore additur particula Non: siquidem Non doctum debet removeri, quod tantum fit per particulam negantem, quæ eadem de causâ etiam in conclusione repetenda. Et notandum, omnes illos rectè concludere, qui ad bonos, vel primæ, vel secundæ figuræ Categoricalos possunt revocari.

XCIX Copulativus tantum affirmativus datur, aliàs mera committitur negatio & *πυλοζία*, si reducat. Figura hie reperitur una: Si unum ponitur: alterum tollatur. Et totidem possunt esse modi, quod in superioribus, si observetur, ut assumpto &posito uno, alterum per suam contradictoriam auferatur. Fundamentum itaq; Copulativorum principium Contradictionis statuatur. Reductio non habet magnam difficultatem.

XCIX Disjunctivus duas habet figuras: Prior est, cum unum tollitur, ut alterum ponatur: Posterior, cum unum ponitur, ut alterum tollatur. Et perinde est, utra pars tollatur, utra ponatur. Sed ante omnia notandum, ne quis in remotione partis ejus, quæ removeri debet labatur, præcipuè si sit negans, ut, si dico: Aut doctus est Petrus, aut non doctus. Sed est doctus: E. non est non doctus: ubi infirmitatur conclusio, ne falsum efficiatur. Reducitur ad categoricum, si Major in propositionem simplicem redigatur. Et hæc genus de perfectis Syllogismis: sequuntur imperfecti, quos obiter quasi percurrendo absolvemus.

C. Rediguntur illæ argumentationes ad quatuor classes. Ad primam refertur Enthymema, ubi non ponuntur omnes præmissæ & nihilo minus conclusio inferitur. Cujus usus est conspicuus in illis, ubi nulla difficultas. Ad secundam spectat Dilemma h. e. Syllogismus disjunctionis utrinq; capiens adversarium. Aut malè locutus sum aut bene. Si malè, ostendendum est. Si bene, non sum verberandus. Quo argumento Salvator noster usus fuit, cum à Judæis sine causâ malè tractaretur. Ad tertiam pertinet Exemplum, quo aliquod singulare ex uno aut paucis similibus confirmatur. Imperium Græcorum delatum est ad Turcas. E. & nostrum ad illos poterit

poterit deferri. Ad ultimam reducitur Sorites ἀπὸ τῆς σωφῆ ἀ cumulo, quod in Sorite plurium Syllogismorum cumulus reperitur. Omnis Avarus est Idololatra. Omnis Idololatra mortaliter peccat: Omnis, qui mortaliter peccat, damnatur. E. Omnis Avarus damnatur. Cujus fundamentum regula illa antepredicamentalis videtur esse: Quicquid de predicato alicujus subjecti dicitur: illud quoque de subjecto illo affirmatur. Sed de Sorite observandum, ne ibi connexio per accidens inter partes reperiatur. Sin, falsissimum inde concludetur. Ut, qui bene bibit, bene dormit: qui bene dormit, non peccat, &c. Et reducuntur Exempl. Sorites & Enthymema ad Categoricalos: Dilemma ad Hypotheticum: quod perficiet, quilibet proprio Marte & Arte paululum in his exercitatus.

CI. Superest hoc, ut pauca de Syllogismis Exponibilibus & Inductione afferantur. Quorum illa doctrina omnino Logico necessario: siquidem propositiones Exponibiles formam perturbant, ut paulo doctioribus manifestum. Res ita expediatur, si observetur, propositiones illas jam ingressas Syllogismum resolvendas esse & exponendas eodem modo, ut supra demonstratum. Ita si dico: Quicumque salvantur eos Deus vult salvos. Sed pauci salvantur. E, Deus paucos vult salvos. Conclusio est absurdissima. Hic minor explicanda ex Doctrina de Exponibilibus. Et quia illa propositio est exclusiva affirmativa, potest ita explicari: Quidam salvantur, Non omnes salvantur &c. Si posterius, peccat in Formam. Si prius, totum argumentum concedendum. De ceteris idem judicetur.

CII. Sequitur, ut tandem concludamus, Inductio, quae a singularibus omnibus ad universale ascendit. Et differt ab Exemplo, quod sc. vel ab uno tantum vel pluribus, sed non omnibus ad universale quae ascendat, non ut in illo acquiescat, quod fit in inductione, sed ut ad aliud inde singulare descendat. Unde etiam, quid per Inductionem intelligatur, facile judicatur. Exemplum sit hoc: Caligula periit, Nero periit, Julianus periit, Diocletianus periit. E. Omnes Tyranni tandem pereunt. Hic ad experientiam, non ad rationes provocatur. Quibus additis, subsistemus.

COROLLARIA.

| | |
|--|--|
| <p>An ex Necessariis absolute semper inferatur necessaria absolute</p> <p>Aff.</p> | <p>An Arist. de Mod. Syllog. in omnibus recte senserit. Neg.</p> <p>An</p> |
|--|--|

An ex Impos. bona illatio. Neg.
An hic Sylog. Possibile est O. cur-
rens esse hominem: Possib. est o-
mnem equum esse carrens. E.
possibile est omnem equum esse
hominem, tollat Conseq. perf. Mo-
daliū. Neg.

An in Sylogismis copulativū unum
tollendum ut tollatur alterum.
Neg.

An ibi etiam Modi reperiantur.
Affirmamus.

DISPUTATIO X.

De

DE MONSTRATIONE.

Resp. PHILIPPO Wiesen/ Nordheimensi.

CIII. Omnia illa, quæ in Logicâ proponuntur, ad Syllogi-
smum collineare, in fronte harum Disputationum dicebatur. Quia
verò Syllogismus & formaliter & materialiter consideratur, for-
mâ, quam hactenus tractavimus, materiam subjungemus. Illa ab-
solvitur Demonstratione, Topicis & Elenchis Sophisticis pro ma-
teriei diversitate. Demonstratio in genere considerata, quam hæc
vice contemplabimus, definitur, quod sit Syllogismus scientificus
ex veris, primis & immediatis, notioribus & prioribus & causis
Conclusionis procedens. Prioribus verbis absolvitur definitio De-
monstrationis: posterioribus materia demonstrationis explica-
tur. Quam definitionem ut primo explicemus, sciendum omni-
no, quid per scientificum intelligatur. Intelligitur Syllogismus,
qui dat scientiam seu scire. Et scire est rem per causam cognosce-
re, vel, ut Phil. verba 1. post c. 2. t. 1. ascribam: ἐπίστανται οἰόμε-
θα ἕκαστον ἀπὸ τῶν, ἀλλὰ μὴ τὸν σοφιστικὸν τρόπον, τὸν κατὰ συμ-
βεβηκὸς, ὅταν τὴν αἰτίαν γινώσκαι, δι' ἣν τὸ πρᾶγμα ἐστίν, ὅτι
ἐπέκεινται αἰτία ἐστίν, καὶ μὴ ἐνδέχεσθαι τῶν, ἄλλως ἔχειν. Et ratio-
nem ibidem addit Philosophus hujus definitionis, quæ sanè digna,
ut teneatur, quam nos brevitatæ gratiâ omitemus. Tantum no-
tandum, primam conditionem Scientiæ esse causam, non causas:
quia rem non penetramus intellectu, nisi sciamus causam, & cujus-
cunque rei unica tantum est causa simpliciter proxima & essentia-
lis.

lis. Unde etiam additur, propter quam res est, unde res est & esse habet, sine quâ esse non potest, quâ positâ res ponitur, & ablatâ auferitur, quo etiam accidentariâ simul causâ excluduntur. Additur, quod illius causa sit: Non enim sufficit nosse, quod sit illa causa, sed præterea sciendum, hanc esse illius rei causam. Concluditur, quod illa res aliter sese habere non possit, quo omnis dubitatio simpliciter debet esse sublata. Quo differt etiam perpetuâ à Dialectico & sophistico Syllogismo, quod in his contrarium reperiatur. Unde, fuit Necessitas consequentis, distincta à necessitate consequentiæ, quod rei necessariâ & perpetuâ consequentiâ absolvatur.

CIV. Materia Demonstrationis est primò ex veris. Non enim ex falsis verum demonstratur. Secundò est ex immediatis seu primis. Quod dupliciter potest intelligi, vel quod medio careant, vel quod sint ipsa prima principia, quæ prorsus ἀναπόδεκτα, quod est de nobilissimâ Demonstratione intelligendum. Quod si autem Enunciatio non est immediata, & medium illud adponatur ad prædicatum, deinde ad subjectum, alia conclusio oriatur. Tertiò ex prioribus & notioribus. Ignotum enim per notum & à priori demonstrandum. Ubi notandum dici aliquid notius duobus modis, aut naturâ, aut Nobis. Per illud intelligit Arist. naturalem rerum dispositionem. Hoc, quod est sensibus nostris notius. Quale est effectus respectu causarum. Tale est etiam compositum respectu principiorum & Singulare, si cum Universali conferatur, quod tamen non de omni universali intelligendum. De priori hoc Notius magis propriè intelligendum, ut infra pluribus audiemus. Quartò concluditur, ut sit causa conclusionis, & respectu essendi & cognoscendi. Quod fit beneficio Medii termini, qui est dispositus cum extremis. Et hæc generalis nobilissimæ illius demonstrationis δῖον adumbratio est. Alterius, cujus non est tanta præstantia naturam infra circa species Demonstrationum audiemus. Hæc vice autem Demonstrationem specialius & exactius pertexemus.

CV. Partes Demonstrationis, sunt tres: Subjectum, principia & Affectiones. Τετα ἐστὶ, ὁτι ὧν δεινυσι, καὶ ἃ δεινυσι, καὶ ἐξ ὧν
i. post. c. 7. & 8. Et de Subjecto, quod est βάσις & fundamentum totius Demonstrationis, primò agemus. Ubi semel pro semper no-

F

tandum,

tandum, nobis esse quæstionem de Subjecto Scientifico, non præctico, quod est propter actionem. Sciens enim tunc suo officio satisfecit, si proprias affectiones de subjecto per principia demonstrat. Deinde notandum, nobis hîc esse sermonem de illo subjecto, de quo per principia affectiones demonstramus. Ne confundantur significationes hujus vocis, quæ legi possunt apud eruditissimum Zabar. l. 1. c. 15. de Naturâ Logices. Tum & illud hic ruminandum ex primâ disputatione de objecto Materiali & Formali, seu re consideratâ & modo considerandi. Illud pluribus potest accommodari: hoc proprium Scientiæ & Demonstrationis & minor est in Demonstratione. Affectio dicitur illud, quod de subjecto per principia demonstratur. Et quod de eo enunciatur, illud aut prædicatur in quid, aut in quale. Quod in quid, illud constituit essentiam, qualia sunt genus, differentia & tota definitio. Quod in quale, aut commune, aut proprium. Priora non possunt demonstrari de subjecto, quia causam non habent, cum quodlibet eorum per se ipsum sit. Nec posteriora prædicata, nisi in eâ scientiâ, cujus sunt propria. Relinquuntur itaq; postrema prædicata accidentium priorum de subjecto. Principia ita debent esse comparata, ut sint causa conclusionis necessaria quoad esse, ut jam pluribus audiemus. Et hæc sunt præcognita necessaria omni scientiam acquirunturo, à quibus differunt prænotiones, itidem necessariæ ante demonstrationem, quarum duæ sunt, quod sit & quid, quarum illa, rursus dividitur in quod sit incomplexum & complexum i. e. quod aliquid sit simpliciter & quod sit verum. Hæc in quid rei & quid nominis. Quod tamen non eò extendendum, ut de omnibus, etiam illis, quæ propriâ inventionem conficiuntur, intelligatur. De subjecto prænotandum quod sit, & quid sit. Per quod est Scotus intelligit non existentiam sed essentiam. A quibus longè recedunt Cajetanus & Toletus, ponentes, per esse hîc intelligi esse actuale, seu existere, non tantum, quod in præsentem tantum aliquid existat, sed temporibus à Naturâ statutis. Quod ipse etiâ Javellus facit, quando dicit: Oportet de subjecto præcognoscere quia est, vel saltè, quod non repugnet sibi esse. Posteriori, ut probabiliori, & nos subscribemus. Per quid est, quid sc. nomen significet e. g. si de lunâ demonstrare velis Eclipsin, ante omnia, quid vocabulo Lunæ significetur, est

29
est sciendum. An autem etiam prænosci debeat τὸ quid rei, dubi-
tatur. Affirmativam Cai Javell. Scotus & Thomas tenuerunt. Nos
negativam cum Toletio, Conimbr. & aliis egregiis Philosophis par-
tem acceptamus. Et sanè si simpliciter hoc esset necessarium, quo-
modo Astronomi citra cognitionem lunæ & cælorum Lunam e-
clipsari demonstrabunt, quod tamen fieri posse experimur. De Pas-
sione, si strictè procedamus, tantum quid sit, h. e. quid Nomen signi-
ficet, prænosendum. Quod tamen non de Inventione Demonstra-
tionum, sed de acquisitione earundem per Doctrinam intelligen-
dum. Ad argumenta, quæ contrà afferuntur, alii responderunt. De
Principiis præsciendum, quod sint, & quid significant. Et quia prin-
cipia alia sunt essendi, alia cognoscendi, de posterioribus hoc effa-
tum intelligendum æstimamus: quamvis simpliciter hinc princi-
pia essendi non excludamus. Tantum de his: sequuntur notæ pro-
positionum Apodicticarum.

CVI. Prima dicitur κατὰ πᾶν, quando prædicatum com-
petit omni & semper. Unde etiam ad hanc notam duæ conditio-
nes requiruntur, & universalitas subjecti & perpetuitas temporis,
quibus à prioristcâ propositione Universali non includente omne
tempus separatur. Secunda est καὶ αὐτό, per se, quod quatuor
modis vulgò ita dicitur. 1. Quod est rei genus, aut differentia, sive
genus & differentia proxima, sive remota. 2. Quod est rei propri-
um. 3. Cum unum necessarium propter alterum, ut effectus propter
causas, puta externas, non internas, quæ non possunt medii locum
occupare, quod tamen sano sensu intelligendum. 4. Quod per se
subsistit. Quorum tantum tres priores modi huc referuntur, nisi
quod in primo modo major necessitas, quàm in cæteris reperiatur.
Tertia, ut sit universaliter prima, καὶ ὅλα πρῶτον i. e. ut non tan-
tum rei omni & per se aliquid insit, sed etiam quatenus tale est.
Ita homini sensus inest omni & per se, sed non quæ homini, sed quæ
Animali: Rationalitas verò homini inest, quæ homini.

CVII. Hinc oritur jam Demonstratio κατ' ἐξοχὴν sic dicta, ubi
effectus per suam causam ad eum modum, ut dictum, demonstra-
tur. A cujus præstantiâ longè abit Demonstratio ὅτι, cum ab effe-
ctu causam aut effectum nō per proximam & immediatam, sed re-

motam demonstramus. Quò etiam refertur, cum ex causâ remote negatione effectum non adesse argumentamur. Unde etiam patet, Demonstrationem non univoce, sed analogicè de his speciebus prædicari. Et nota etiam illa divisio esse debet in ostensivam & per impossibile. Illa simpliciter ex necessariis, primis &c. concludit. Hæc adversarium ad absurdum redigit ex similibus, non simpliciter aliunde. e.g. Si homo non est discursivus, non est rationalis. Jam secundum adversariorum homo non est discursivus. E. non est rationalis. Sed absurdum est hominem non esse rationalem, E. & pariter absurdum, Hominem non esse discursivum.

CVIII. Cæterum, ut Demonstratio $\delta\pi\pi$ gignat firmam scientiam, inventus est Regressus, quo prius causam ignotam ex effectu notiore colligimus, postea regredientes, & ex eadem causâ, adhibita, ut Phil. inquit, aliquâ mentali consideratione, eundem effectum demonstrantes. Unde & rectè communiter dicitur reciproca Demonstratio. Et requiruntur ad Regressum legitimum tria: 1. Demonstratio $\delta\pi\pi$ 2. Mentalis illa consideratio, quâ ex cognitione Confusâ illius causâ ducimur in perfectam ejus rei cognitionem. 3. Demonstratio $\delta\iota\omega\pi$, quâ tandem ad perfectam rei cognitionem devenimus. Dicitur aliàs hæc doctrina Circulus Materialis, contradistinctus formali, ubi ex conclusione & alterâ propositione simpliciter conversâ alteram concludimus, ut idem ex se invicem demonstretur. Sit conclusio pro Pontificiis: Papa est caput Ecclesiæ. Hanc demonstrârunt nonnulli inde: quia Scriptura hoc dicit. Si urgeamus illos, ut demonstretur: Dicunt: quia Ecclesiâ hoc dicit, & rursus ab Ecclesiâ ad Scripturam provocant. Quam ridicula eorum affirmatio, tam ridicula est probatio, dum probando ita in circulo circumaguntur, es sc. laborant in explicatione nonnullorum, ut falso sibi persuadent, locorum: ut Theologis Manifestum. Tantum de Demonstratione.

COROLLARIA.

| | |
|--|---|
| <p>Quid de Scepticorum sententiâ in questione de Scientiâ sentiendum falsi.</p> <p>Quid de Platonis Reminiscet. sta- tuendum. Rejicienda.</p> | <p>An habitus princip. insit à Naturâ Neg. An Mathematicæ discip. Scient. Aff.</p> |
|--|---|

An

An per Circulum possit demonstra-
ri. Neg.

An cognitio certa differat ab evi-
denti. Affirm.

An in practicis dentur Demons-
tr. Neg.

Unde Unitas & distinctio Disci-
plinarum petenda. A modo consider.

An praemissa notiores Conclusionem
Affirm.

An etiam de Defn. & Divis. in De-
monstrat. possit agi. Aff.

An etiam de Metodo Maxime.

An fundamentum Methodorum in
Demonstratione reperiat. Max.

299
An objectum Demonstrationis de-
beat esse eterna Veritatis? Aff.

An omnia principia sint indemon-
strabilia. Neg.

An Divisio Demonstrat. in diōn &
ōm̄i adaequata. Aff.

An dentur scientia subalternantes
Aff.

An scientia & Opinio simul in in-
tellectu esse possint. Dist.

Utrum idem actus simul possit esse
Opinio & Scientia. Contrariae
sententiae circumferuntur. Nos
sententiam nostram in ipsam a-
renam reservamus.

DISPUTATIO XI.

De

TOPICIS.

Resp. NICOLAO JOHAN-GRAMMIO,
Holsato.

CIX. Dicitur Syllogismus Topicus, qui ex probabilibus ratiocinatur, h. e. qui ex probabilibus propositionibus conclusionem probabilem concludit. Et probabilis sunt, quae vel omnibus, vel pluribus, vel sapientibus, & ex his, vel omnibus, vel pluribus, vel praecipuis vera videntur. Unde differt à Demonstratione, quòd illa pariat accuratam, & evidentem rei cognitionem: haec opinionem. Desumuntur autè conclusiones ex talibus principiis, quae neq; adaequata, neq; immediata, sed communia à rebus communissimis desumpta. Et illa principia, quia sunt varia ad certas classes seu τὸν ἄρξ rediguntur. Quemadmodum enim aliàs Theologi &c. sua habent loca, ad quae omnia, quae sparsim in S. Scripturis, patribus & Historiâ Ecclesiasticâ leguntur, puta, de Deo, Justificatione &c. ad certa loca rediguntur:

F 3

guntur:

guntur: ita etiam & generalia illa principia in sectionibus Philosophicorum Scriptorum observata in certos locos topicos referuntur.

CX. Possunt autem ad quatuor vel quinque classes referri prædicta Topica, ex quibus omnia problemata & propositiones dialecticæ conficiuntur. Quicquid enim de Subjecto aliquo dicitur, vel reciprocatur cum subjecto, vel non: si prius, Definitio est, seu species, aut proprium, aut differentia: si postetius, genus, aut Accidens.

CXI. Primus locus est de Definitione & Descriptione. Argumenta & principia inde desumpta sunt hæc: Cui competit Definitio, eidem & Definitum. Et ordine inverso: Cui competit Definitum, ei & Definitio. De quo negatur Definitio, de eo etiam definitum. Et vice versâ. Eadem principia ex Descriptione conficiuntur. Secundus Locus est ex Genere. Hujus maximæ sunt sequentes: Posito Genere, ponitur species indeterminatè: Negato genere, omnes ejus species negantur: Quod de genere dicitur, idem de omnibus ejus speciebus: Quod de Genere negatur, etiam negatur de speciebus: quod etiam ex Regulâ illâ Antepædicamentali supra positâ manifestum. Tertius locus desumitur à Differentiâ: Cui competit Differentia, ei competit & Definitum: Cui competit Definitum eidem & Differentia: De quo negatur Differentia, de eo & Definitum & inverso ordine &c. Quartus est proprii, puta quartum: Cui competit proprium, ei competit & species: De quo negatur proprium, de eo negatur & species. Sextus est Accidentium, unde admodum imbecilles rationes deducuntur, ut ex sequentibus locis cognoscemus.

CXII. Hinc derivantur Similia, Comparata & Paria. A Similibus: Quod de uno similium valet, id valet etiam de altero, A Comparatis vel à magis & minus, unde quatuor modis ita argumentamur. 1. Cùm neq; ex magis minus: neq; ex minus magis argumentamur, sed cùm attributū subjecto inesse concludimus, si sicut subjectum, sic etiam attributum intendi magisq; recipere possit. Si Voluptas est bona: etiam magis Voluptas magis bona. Si facinorosus plectendus, etiam magis facinorosus plectendus. 2. Cùm prædicatum huic subjecto non inesse monstratur, eò, quòd alteri, cui magis inesse debebat, non inest vel cùm subjectum cui
idem

idem magis inesse prædicatum videtur, medium est, quò idem prædicatum ab altero prædicato removetur. Si Mosi non creditis, inquit Salvator noster ad Judæos, nec mihi creditis. A majori ad minùs. Ubi vero notandum, hîc rationem rerum non haberi: quæ scilicet major & præstantior sit, sed attributionis seu prædicationis, vel ut Arist. inquit: τὸ μᾶλλον καὶ ἥτιον ὑπάρχειν. Qui modus habet alium sibi ex adverso respondentem, sc. à minùs ad magis. v. g. Si decem viris robustior, etiam quatuor superabit. 3. Cùm duo prædicata sunt & unum subjectum, ibi vel per illud prædicatum, quod magis illis subjecto inesse videtur, alterum non inesse monstramus, v. g. verè credentes non profus deficiunt, quia nunquam excidunt gratiâ Dei: quod magis inesse viderur: vel per illud, quod minùs inesse videtur, alterum inesse monstramus, v. g. Renati adulteria committunt. E. & alia peccata. 4. Cùm duo prædicata duobus subjectis inesse dicuntur, unumquodq; prædicatum suo subjecto. Si igitur illud prædicatum illi subjecto non inest, quod magis inesse videtur, neq; alterum alteri inest, cui minùs inesse videtur. Et si illud prædicatum inest, quod minùs inesse videtur, etiam alterum suo subjecto inerit. Quibus modis ex hoc loco argumentamur. A paribus: Quod valet de uno parium, illud valet de altero. Ita si Jurisperitus frustratur suo fine, etiam Philosophus sine poterit frustrari. Unde & negativè argumentamur.

CXIII. Porrò huc referuntur causæ. Hinc in genere ita: Posito effectu, necesse est causam esse, vel fuisse: Posita causâ proximâ in actu, ponitur effectus in actu proximus: Negatâ causâ, negatur Effectus &c. In specie ab Efficiente Princip. & Instrumentali: Nulla causa instrumentalis agere potest, nisi elevata ad effectum à principali. A finali: Qui vult finem vult mediâ. A formali: positâ formâ, ponitur res, cujus est forma. Operatio arguit formam. A Materiali: positâ materiâ, ponuntur materiæ conditiones.

CXIV. Colophonem imponunt Antecedens & Consequens, puta rei, non connexionis: Etymologia: Conjugatorum. Ab Anteced. & conseq: Posito consequente, ponitur antecedens. Remoto antecedente consequens removetur. Ab Ethymol. nimis imperfectæ rationes deducuntur. A Conjugatis: De quo negatur,

vel

vel affirmatur unum conjugatorum, de eo quoq; dicitur vel affirmatur alterum conjugatorum. Ita forma & Idea veræ, præcæ & peripateticæ Dialecticæ delineatur.

COROLLARIA.

| | |
|---|--|
| An Nostra Dialectica distincta à Rami Dial. Aff. | An planè Logico neces. Dialect. Neg. |
| An eadem prædicata propositionem demonstrat. & probabil. facere possint. Aff. & Dist. | Quis finis Topicorum. Opinio. |
| An Dialecticæ egregius usus. Aff. & vid. Arist. lib. 1. Top. c. 2. | An unum principiorum ibidem firmius altero. Aff. |
| | Quodnam firmissimum. A Definitione proprio & nonnullis causis desumptum. |

DISPUTATIO XII.

De

ELENCHIS SOPHISTICIS.

Resp. JACOBO Xheburg / Behlma-Bremens.

CXV. Verùm enim verò, cum nullo modo sufficiat, scire, quomodo argumentari debeamus, nisi & sciamus, quomodo insulti- bus Sophistarum resistendum, loco aditamenti sub finem præceptorum Logicorum nobis offertur doctrina de illis deceptionibus resolvendis, velut ἀλεξήτηριον φάρμακον, ut à Philosopho salutatur.

CXVI. Describitur, quòd sit Syllogismus speciosè fallens & producens contradictionem Conclusionis, puta veræ alicui conclusioni contradicentem.

CXVII. Loci, unde sumuntur Syllogismi Sophistici, constituuntur communiter & potissimum tredecim: ita tamen, ut prius ad duas classes referantur: ὅσαι τὴν λέξιν, in dictione. ἕξω τῆς λέξεως, extra dictionem. Illa, cum latibulum est in vocibus, Hac cum fucus in re. Et ad primam classem referuntur: Æquivocatio, Amphibolia, Compositio Vocum, Divisio, Accentus, & Figura Dictionis.

ctionis. Ad secundam: A dicto secundum Quid ad dictum simpliciter: Ignorantia Elench: Petitio Principii: Fallacia Consequentis: Non causa: ut causa Fallacia Plurium interrogationum.

CXVIII. Equivocatio dicitur, cum oritur deceptio ex variis significationibus Vocis. e.g. Canis pro custode illo domestico & Astro in caelo posito. Amphibolia, cum est talis deceptio in pluribus Vocibus. Ut: e.g. Ajo, te Ajacida posse Romanos vincere. Arare litus &c. Fallacia compositionis, cum sensu composito sumitur, quod diviso intelligendum, e.g. Potest sedens stare, quod vel diviso sensu vel composito intelligendum. Fallacia divisionis, cum sensu diviso sumitur, quod composito erat accipiendum. Duo & tria sunt quinque, si ita intelligas, duo esse quinque & tria esse quinque. Fallacia accentus, quum fallacia est vel in quantitate aut pronuntiatione Vocis, vel pronuntiatione totius Orationis. Ut morari, i. e. Diu manere & diu morum agere. Figura Dictionis, cum phrasis seu ratio loquendi non recte percipitur. Tantum de fallaciis in dictione: sequuntur quae sunt extra dictionem.

CXIX. Fallacia Accidentis, *ἁπλ. τὸ συμβεβηκός*, cum rei per se tribuitur, quod est per accidens. Si divitiae dicantur mala. A dicto secundum Quid ad dictum simpliciter, cum id, quod secundum Quid rei tribuitur, de eo in totum predicatur. Ita Aethiops dicitur albus non in totum. Ignorantia Elenchi, cum non recte percipitur, quid in quaestione. Ita, cum Paulus dicit, cavendum esse, ne quis per Philosophiam decipiatur. Petitio principii, cum id loco probationis sumitur, quod est in quaestione, vel aequè dubium per dubium demonstratur. Consequentis, si consecutionem reciprocam esse existimamus e.g. Si pluit terra est madida. E. Si madida est, pluit. Secundum non causam, ut causam, quando causa affertur, quae non est causa rei. Plurium interrogationum, cum plura quaeruntur. e.g. sint ne illa bona, quae sunt bona & mala. Quibus si vel affirmatione vel negatione respondeas, te intricabis. Ad quas Fallacias potissimum Distinctione & viii explanatione, unde sc. paralogismorum falsitas oriatur, respondendum.

COROL

COROLLARIA.

| | |
|---|--|
| <p>An hec Doctrina sit essentialis Log- gices pars. Neg.</p> <p>An illa divisio sit legitima. Affirm.</p> | <p>An omnes Fallacie ad huc clas. refe- rantur. Aff.</p> <p>An etiam Fallacia forma huc perti- neat. Nullo modo.</p> |
|---|--|

FINIS.

יודוך עמי אלהים
יודוך עמי יכלם

IN vanum plures noctesq; diesq; laborant,
Ast illos vanus concomitatur honos.
Nonica CONRADUS, melius sua dona locavit,
Hacce nihil VANI-lemmata TALIS habens.
Hinc quoq; perpes honos surget, quem nulla negabunt
Secta sibi, qualem, SVAVIS AMICE, precor.

M. Joachimus Fabricius,
Lindoa-Mefo Marchiacus.


QUæ veri Logica est indago, norma Sopho-
rum.

Certa, atq; emuncti regula judicij,
Te prodit cultore, tuoq; ornata labore,
HECTOR, ita ingenii das documenta tui.
CONSILIO HECTOREOS solers hos suscipis ausus:
Perge ita, perficies plura, juvante DEO.

Πρῆγμα καλὸν πέλεσθαι, μέσσης πολυφίλτων ἔκτος,
ὅτι μὲν ἐν σοφίῃ χρῆσιμα πολλὰ πονῆς,
βάσι' ἴσι, κάλλιστον δ' ἔσται καὶ κῦδος, εἰάνπερ
μόχθῳ ἔτ' ἀκαμάτω χρῆσιμα πολλὰ πονῆς.

Gratulabundus fer.

M. DANIEL SIMONIUS,
Noribergâ-March.



H O M O

- De Homine
verba fa-
cturus ex
plicabit.
- 1. Nomen, & dicitur Homo, quod ex humo, id est, limo terræ sit creatus.
 - 2. Genus, 1. Remotum, Substantia, 2. Proximum, Animal.
 - 3. Causas, & quidem
 - 1. Efficiens, Deus, Sol, Parentes, Solum natale.
 - 2. Materia { Corpus } cum Elementis ex quibus
 - 3. Forma { Anima } b^o homo componitur.
 - 4. Finis, Æterna felicitas.
 - 4. Definitionem, & est Homo animal rationis, consiliiq; particeps.
 - 5. Effecta, ut sunt: Leges, Civitates, Literæ, Disciplinæ & artes.
 - 6. Accidētia
 - 1. Propria, videl. Ridere, Loqui, Numerare. &c.
 - 2. Communia respectu
 - 1. Animi, sc. Acumen, Hebetudo, memoria. &c.
 - 2. Corporis, Robur, Imbecillitas. &c.
 - 3. Fortunæ, Divitiæ, Paupertas.
 - 7. Divisionem. Atqui hic sciendum, Hominem, cum infima species sit in alias species non dividi.
 - 8. Cognata, & habet homo cognationem cum
 - 1. Toto mundo, unde & *μικρόκοσμος* dicitur.
 - 2. Superis, si virtutibus supra humanam sortem assurgere studeat.
 - 3. Bestiis, si ita se abjiciat, ut ad mutarum pecudum naturam proximè accedat.
 - 9. Pugnancia, ut sunt, Lupus, Crocodilus, Basiliscus, &c.

Tractatio Thematici Accidental.

V I R T U S

In explicatio-
ne The-
matis Acci-
dentalis
confide-
randa.

1. Nominis Notatio, ut Virtus à Viro: sicuti etiam *Ἀρετὴ ἐστὶν τῆς Ἀρετῆς* dicitur.
Genus, ex Prædicamento Qualitatis, est Ha-
2. bitus.
 1. Efficientes, Deus, Actiones ipsæ: Vo-
luntas obtemperans rectæ rationi &c.
 2. Materia
 - Ex qua, non datur in Acci-
dentibus,
 - In qua, est Voluntas, &
Mens.
 3. Finis, est *εὐδαιμονία*, vel rectius Deus
& æterna præmia.
3. Causæ
4. Definitio, est animi habitus &c.
5. Effecta, sunt Tranquillitas cordis, felices successus,
Utilitas; & pax publica.
6. Accidentia
 1. DEI, sc. Defensio in periculis.
Bonorum, Gloria,
 2. Hominum
 - Laus
 - Malorum, Pericula
 - sc.
7. Divisio, & Virtus alia est Intellectualis, alia Mo-
ralis.
8. Cognata, & sunt Inclinationes ad Bonum.
9. Pugnancia, sc. Vitia, vel virtutis simulatio.

SYNOP.

SYNOPSIS LOGICÆ.

LOGICÆ
Partes
sunt
duæ

Communis,
quæ agit de
Terminis

Simplici-
bus, ut in

Pradicabili-
bus.
Pradicamen-
tis.

Conjunctis.
ut in

Enunciatio-
ne.
Syllogismo.

Simpliciter,
vel *Necessaria*,
unde fit Syl-
logismus *Demon-
strativus*.

Propria,
quæ agit
de Sylllo-
gismi
Materia,
vel

Verâ,


Contingenter,
vel *Probabili*,
unde fit Sylllo-
gismus *Diale-
cticus*.

Falsa, unde fit Sylllogismus
Sophisticus.


SYNOPSIS PRIMÆ PARTIS, PARTIS COMMUNIS LOGICÆ.

| | | | | | | |
|---|---|--|--|--|--|--|
| | | | | | | |
| | Prædicabilibus, quorum infimus gradus est INDIVIDUUM, de hoc cætera prædicantur, in | QUID, | 1. Genus, estq; aliud 2. Species, estq; alia | Summum Subalternum Specialissima Subalterna | | |
| | | QUALE scilicet | 1. Differentia 2. Propriū, & habet modos 4 scilicet 3. Accidens, estq; | 1. 2. 3. 4. Separabile Inseparabile. | | |
| | Antepredicamenta, scilicet | 1. Definitiones 2. Divisiones 3. Regulae | Homonymorum Synonymorum Paronymorum Nominum, quarum Rerum Homogeneorum Heterogeneorum Subalternorum. | Incoplexa Complexa | | |
| Prima pars, partis Communis Logicæ, agit de Terminis simplicibus, videlicet, de | Prædicamenta sunt alia | 2. Prædicamenta scilicet | 1. Substantia, ubi confideranda. 2. Quantitas ubi 3. Qualitas ubi 4. Relatio, ubi 5. Actio 6. Passio 7. Quantitas 8. Ubi 9. Situs 10. Habitus | 1. Definitio 2. Divisio 3. Proprietates 1. Definitio 2. Divisio 3. Proprietates 1. Definitio 2. Species 3. Proprietates 1. Definitio 2. Requisita scilicet 3. Proprietates 1. Definitio 2. Proprietates 1. Opposita scilicet 2. Prius | Prima Secunda Longitudo Latitudo Profunditas Locus Tempus Discreta Numerus Oratio Habitus & Dispositio Potentia & Impotentia naturalis Passio & Passibilis qualis Forma & Figura 1. Subjectum 2. Fundamentum 3. Terminum 1. Relative 2. Contrariè 3. Privative 4. Contradictorie 1. Tempore 2. Natura 3. Ordine 4. Dignitate 5. Causa Causato | |
| | | 3. Postprædicamenta & sunt | 3. Simul 4. Motus 5. Habere | 1. Tem- pore 2. Natu- ra, vel ut Rela- ta Spe- cies. | | |

SYNOPSIS SECUNDÆ PARTIS, PARTIS COMMUNIS LOGICÆ.



SYNOPSIS PARTIS TERTIÆ PARTIS COMMUNIS LOGICÆ,



TABU.

TABULA PRIMA PARTIS PROPRIÆ DE DEMONSTRATIONE.

In doctrina Demonstrationis consideranda sunt

I. MATERIA ex qua componitur Syllogismus Demonstrativus. Estq; ea

1. Remota, & sunt tres Termini, sc.

Minor, in Syllogismo: Extra Syllogismum vero dicitur *Subiectum*
Major, in Syllogismo: Extra Syllogismum dicitur *Accidens proprium*; vel *Affectio*
Medius, in Syllogismo; Extra Syllogismum: *Causa*, vel *Principium*

2. Propinqua, & sunt tres propositiones quæ considerantur ratione

1. Veræ
2. Primæ, & Immediatæ
3. Notiores Conclusionē
4. Priores Conclusionē
5. Causæ Conclusionis
1. γενεσεως, & sic debent esse
2. καταλυσεως, & sic
Propositiones exa-
minamus, secundum Leges
1. κατὰ γενεσεως
2. κατ' αὐτό
3. καταλυσεως τῶν.

2. SPECIES, & est duplex Demonstratio, alia

τῆς διορίσεως, probans Effectum per proximam causam
τῆς ὄψεως, & demonstrat, vel
1. Causam, per effectum proximum
2. Effectum, per Causam remotam

1. DEFINITIO, estq; alia

1. Nominis Definitio
2. Rei, Definitio estq; alia
1. Perfecta, & sic, vel
2. Imperfecta.

3. MEDIA, ad Demonstrationem ductentia, sc.

2. DIVISIO, estq; alia

1. Nominis, sc.
2. Rei
1. Perfecta
2. Imperfecta estq; vel
1. Equivoci
2. Ambigui
1. Generis in Species, & dicitur *Divisio*
2. Toties in Partes, & dicitur *Partitio*
1. Subiecti in Accidentia
2. Accidentiū per subiecta
3. Accidentis in Accidentia
4. Effectivum per Causas
5. Causarum per Effectus
6. Rerum per objecta.

3. METHODUS & dividitur in

1. Ordinem, qui est vel
2. Methodum speciatim acceptum
Universalis estq;
Particularis, estq;
Thematis
1. Syntheticus
2. Analyticus
1. Simplicis
2. Coniuncti

TABU.

**TABULA SECUNDA PARTIS PROPRIÆ DE LOCIS TOPICIS
INTERNIS.**

Loci Topici Interni sunt

- | | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|-----------------------------|---|--|----------------|-------------------|------------|-------------------------------------|-------------|---|-------------------------------------|---------------------------|---|-------------------|---|-------------------|---|-----------------------------------|---|--|
| 1. GENUS, ubi 3. Regulæ | { | 1. Quod convenit generi per se &c. 2. Quod non convenit generi &c. 3. Cuicunq; non convenit genus &c. | } | | | | | | | | | | | | | | | |
| 2. SPECIES, ubi 5. Regulæ | { | 1. Quod convenit alicui speciei &c. 2. Quod non convenit certæ speciei &c. 3. Quod convenit omnibus speciebus. 4. Quod non convenit omnibus speciebus. 5. Cui convenit species. | } | | | | | | | | | | | | | | | |
| 3. TOTUM estq; aliud | { | <table style="border: none;"> <tr> <td style="width: 10%; vertical-align: top;">1. Essentiale</td> <td style="width: 5%; vertical-align: middle;">{</td> <td style="width: 20%; vertical-align: top;">Homogeneum</td> <td style="width: 5%; vertical-align: middle;">}</td> <td style="width: 10%; vertical-align: top;">Regulæ</td> <td style="width: 5%; vertical-align: middle;">{</td> <td style="width: 45%; vertical-align: top;">1. Posito Toto ponuntur partes</td> </tr> <tr> <td style="vertical-align: top;">2. Integrale, estq; aliud</td> <td style="vertical-align: middle;">{</td> <td style="vertical-align: top;">Heterogeneum</td> <td style="vertical-align: middle;">}</td> <td style="vertical-align: top;">Tortius sunt duæ</td> <td style="vertical-align: middle;">}</td> <td style="vertical-align: top;">1. Remoto Toto remouentur partes.</td> </tr> </table> | 1. Essentiale | { | Homogeneum | } | Regulæ | { | 1. Posito Toto ponuntur partes | 2. Integrale, estq; aliud | { | Heterogeneum | } | Tortius sunt duæ | } | 1. Remoto Toto remouentur partes. | } | |
| 1. Essentiale | { | Homogeneum | } | Regulæ | { | 1. Posito Toto ponuntur partes | | | | | | | | | | | | |
| 2. Integrale, estq; aliud | { | Heterogeneum | } | Tortius sunt duæ | } | 1. Remoto Toto remouentur partes. | | | | | | | | | | | | |
| 4. PARS, estq; alia | { | <table style="border: none;"> <tr> <td style="width: 10%; vertical-align: top;">1. Essentialis</td> <td style="width: 5%; vertical-align: middle;">{</td> <td style="width: 20%; vertical-align: top;">Homogenea</td> <td style="width: 5%; vertical-align: middle;">}</td> <td style="width: 10%; vertical-align: top;">Principalis</td> <td style="width: 5%; vertical-align: middle;">}</td> <td style="width: 45%; vertical-align: top;">Regula 1. Positis partibus omnibus.</td> </tr> <tr> <td style="vertical-align: top;">2. Integralis</td> <td style="vertical-align: middle;">{</td> <td style="vertical-align: top;">Heterogenea estq;</td> <td style="vertical-align: middle;">}</td> <td style="vertical-align: top;">Minor Principalis</td> <td style="vertical-align: middle;">}</td> <td style="vertical-align: top;">2. Sublatis partibus omnibus.</td> </tr> </table> | 1. Essentialis | { | Homogenea | } | Principalis | } | Regula 1. Positis partibus omnibus. | 2. Integralis | { | Heterogenea estq; | } | Minor Principalis | } | 2. Sublatis partibus omnibus. | } | |
| 1. Essentialis | { | Homogenea | } | Principalis | } | Regula 1. Positis partibus omnibus. | | | | | | | | | | | | |
| 2. Integralis | { | Heterogenea estq; | } | Minor Principalis | } | 2. Sublatis partibus omnibus. | | | | | | | | | | | | |
| 5. DEFINITIO, ubi 4. Regulæ | { | 1. Quicquid convenit Definitioni. 2. Quicquid con convenit Definitioni 3. Cui convenit Definitio 4. Cui non convenit Definitio | } | | | | | | | | | | | | | | | |

TABU.

TABULA TERTIA PARTIS PROPRIÆ DE LOCIS CONJUNCTIS.

Loci Topici
CONJUNCTI
sunt:

| | | | | | |
|--|--------------------------|--|---|---|--|
| | PROPRIUM, ubi 2. Regulæ | | 1. Posito Proprio, res ipsa ponitur 2. Remoto Proprio, res ipsa removetur. | | |
| | 2. Accidens, estq; aliud | 1. Antecedens 2. Concomitans 3. Consequens | ejus Regulæ 6. | 1. Posito Antecedente, ponitur. 2. Remoto Antecedente, removetur. 3. Posito concomitantiam uno. 4. Remoto Concomitantium uno 5. Posito consequente ponitur 6. Negato consequente, negatur. | |
| | 3. Conjugata suntq; alia | 1. Re & Verbo 2. Sê- lu | eorum Regulæ 6. | 1. Quod tribuitur uni conjugatorum 2. Quod negatur de uno conjugatorû. 3. Cui tribuitur unum Conjugatorû. 4. Cui admittitur unû Conjugatorum. 5. Conjugatorum Conjugata sunt. 6. Duorum Contrariorum Conjugata | |
| | | | Procreans Cõservans Corruptens | Regulæ sunt 5. 1. Posita Causa Efficiente proc. 2. Negata & Sublata causa 3. Posita causa conservante 4. Negata causa conservante 5. Posita causa cortumpente | |
| | 4. Causæ & quidem | 1. Efficiens que est vel | Primo Secundo Tertio | Principalis estq; vel Impulsiva Instrumentalis | Regulæ sunt 9. 1. Posita causa solitaria 2. Negata causa solitaria 3. Quod tribuitur causa scil. 4. Causa solitaria in reb? 5. Positis causis sufficientibus. 6. Causa principalis non exc. 7. Posita Causa impulsiva, 8. Positis Instrumentis effectam. 9. Remotis instrumentis. |
| | | | Per se estq; Per accidens | Naturalis Voluntaria | Regulæ 3. 1. Posita causa naturalis 2. Posita causa voluntaria 3. A causis per accidens. |

TABULA

Loci Topici
CONJUNCTI
sunt:

4. Cau-
sæ &
qui-
dem

2. Materia,
& dicitur

Proprie
Per Ana-
logiam,
estq;

1. Materia
in Qua
2. Materia
circa
Quam

Regu-
læ 6.

1. Posita Mate-
ria possibile.
2. Negata ma-
teria, negatur.
3. Quod tribui-
tur materiæ.
4. Quod adimi-
tur materia.
5. Cui tribui-
tur materia
6. Cui adimi-
tur Materia.

3. Forma ubi Re-
gulæ 4.

1. Quod affirmatur de forma.
2. Quod negatur de forma.
3. Cui tribuitur forma.
4. Cui adimitur forma.

4. Finis,
qui di-
stin-
guitur

Primo in
finem
Secundo
in finem
Tertio in
finem
Quarto in
finem

Universalem
Particularem
Principalem
Minus prin-
cipalem
Internum
Externum

Regulæ 5.

1. Cujus finis
bonus est
2. Cujus finis
malus est
3. Posito fine
ponuntur
4. Remoto vel
sublato fine
5. Propter quod
unumquodq;

Effectum ubi
Regulæ 5.

1. Posito Effectu, necesse.
2. Sublato effectu tollitur
3. Cujus Effectus bonus est.
4. Cujus effectus malus est
5. Nullus effectus excedit.

TABULA

TABULA QUARTA PARTIS PROPRIÆ DE LOCIS DISJUNCTIS 3

| | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
|--|---------------------------------|--|---|----------------------------------|-------------|------------------------------------|--|--|--|--|---------------------------------|----------------------------------|--|--|--------|----------------------------|---------------------------|--------------------------|
| In Locis Disjunctis consideranda | 1. Notatio, estq; alia | <table border="0" style="border-left: 1px solid black; border-right: 1px solid black;"> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">1. Vera</td> <td rowspan="3" style="font-size: 2em; vertical-align: middle;">}</td> </tr> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">2. Apparens</td> </tr> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">3. Falsa</td> </tr> </table> | 1. Vera | } | 2. Apparens | 3. Falsa | Regulæ 4. | <table border="0" style="border-left: 1px solid black; border-right: 1px solid black;"> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">1. Cui convenit Notatio nominis</td> <td rowspan="4" style="font-size: 2em; vertical-align: middle;">}</td> </tr> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">2. Cui Notatio non convenit.</td> </tr> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">3. Quod Notationi convenit.</td> </tr> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">4. Quod Notationi non convenit.</td> </tr> </table> | 1. Cui convenit Notatio nominis | } | 2. Cui Notatio non convenit. | 3. Quod Notationi convenit. | 4. Quod Notationi non convenit. | | | | | |
| | 1. Vera | } | | | | | | | | | | | | | | | | |
| | 2. Apparens | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| | 3. Falsa | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| | 1. Cui convenit Notatio nominis | } | | | | | | | | | | | | | | | | |
| | 2. Cui Notatio non convenit. | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| | 3. Quod Notationi convenit. | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| | 4. Quod Notationi non convenit. | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| | 2. Comparata suntq; alia in | Quantitate & sunt | <table border="0" style="border-left: 1px solid black; border-right: 1px solid black;"> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">Paria ubi</td> <td rowspan="4" style="font-size: 2em; vertical-align: middle;">}</td> </tr> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">Regulæ 4.</td> </tr> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">Imparia suntq;</td> </tr> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">Majora, ubi; Si id quod magis probabile.</td> </tr> </table> | Paria ubi | } | Regulæ 4. | Imparia suntq; | Majora, ubi; Si id quod magis probabile. | <table border="0" style="border-left: 1px solid black; border-right: 1px solid black;"> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">1. Quod uni Parium convenit.</td> <td rowspan="4" style="font-size: 2em; vertical-align: middle;">}</td> </tr> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">2. Quod Uni Parium non convenit.</td> </tr> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">3. Cui Unum Parium inest.</td> </tr> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">4. Cui Unum Parium non convenit.</td> </tr> </table> | 1. Quod uni Parium convenit. | } | 2. Quod Uni Parium non convenit. | 3. Cui Unum Parium inest. | 4. Cui Unum Parium non convenit. | | | | |
| | | Paria ubi | } | | | | | | | | | | | | | | | |
| Regulæ 4. | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| Imparia suntq; | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| Majora, ubi; Si id quod magis probabile. | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 1. Quod uni Parium convenit. | } | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 2. Quod Uni Parium non convenit. | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 3. Cui Unum Parium inest. | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 4. Cui Unum Parium non convenit. | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 3. Repugnantia, suntq; | Qualitate & sunt | <table border="0" style="border-left: 1px solid black; border-right: 1px solid black;"> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">1. Similia</td> <td rowspan="2" style="font-size: 2em; vertical-align: middle;">}</td> </tr> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">& sunt</td> </tr> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">2. Plena, & sunt</td> <td rowspan="2" style="font-size: 2em; vertical-align: middle;">}</td> </tr> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">Dissimilia</td> </tr> </table> | 1. Similia | } | & sunt | 2. Plena, & sunt | } | Dissimilia | <table border="0" style="border-left: 1px solid black; border-right: 1px solid black;"> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">1. Contra-</td> <td rowspan="2" style="font-size: 2em; vertical-align: middle;">}</td> </tr> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">ota</td> </tr> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">2. Plena, & sunt</td> <td rowspan="2" style="font-size: 2em; vertical-align: middle;">}</td> </tr> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">sterum</td> </tr> </table> | 1. Contra- | } | ota | 2. Plena, & sunt | } | sterum | | | |
| | 1. Similia | } | | | | | | | | | | | | | | | | |
| & sunt | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 2. Plena, & sunt | } | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| Dissimilia | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 1. Contra- | } | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| ota | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 2. Plena, & sunt | } | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| sterum | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 2. Opposita suntq; | 1. Disparata ubi | Regulæ 2. | <table border="0" style="border-left: 1px solid black; border-right: 1px solid black;"> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">1. Continua</td> <td rowspan="2" style="font-size: 2em; vertical-align: middle;">}</td> </tr> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">2. Dis-</td> </tr> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">2. Remota</td> <td rowspan="2" style="font-size: 2em; vertical-align: middle;">}</td> </tr> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">juncta</td> </tr> </table> | 1. Continua | } | 2. Dis- | 2. Remota | } | juncta | <table border="0" style="border-left: 1px solid black; border-right: 1px solid black;"> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">1. Quod Unifimilium convenit</td> <td rowspan="3" style="font-size: 2em; vertical-align: middle;">}</td> </tr> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">2. Quod Uni similium no convenit</td> </tr> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">3. Dissimilibus dissimilia conveniunt.</td> </tr> </table> | 1. Quod Unifimilium convenit | } | 2. Quod Uni similium no convenit | 3. Dissimilibus dissimilia conveniunt. | | | | |
| | | | 1. Continua | } | | | | | | | | | | | | | | |
| 2. Dis- | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 2. Remota | } | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| juncta | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 1. Quod Unifimilium convenit | } | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 2. Quod Uni similium no convenit | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 3. Dissimilibus dissimilia conveniunt. | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 3. Privantia, ubi Regu- | 2. Opposita suntq; | Regulæ 5. | <table border="0" style="border-left: 1px solid black; border-right: 1px solid black;"> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">1. Posito uno Disparatorum.</td> <td rowspan="2" style="font-size: 2em; vertical-align: middle;">}</td> </tr> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">2. Remoto uno Disparatorum.</td> </tr> </table> | 1. Posito uno Disparatorum. | } | 2. Remoto uno Disparatorum. | <table border="0" style="border-left: 1px solid black; border-right: 1px solid black;"> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">1. Posito uno Relatorum.</td> <td rowspan="3" style="font-size: 2em; vertical-align: middle;">}</td> </tr> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">2. Remoto uno Relatorum.</td> </tr> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">3. Cui tribuitur unū Relative.</td> </tr> </table> | 1. Posito uno Relatorum. | } | 2. Remoto uno Relatorum. | 3. Cui tribuitur unū Relative. | | | | | | | |
| | | | 1. Posito uno Disparatorum. | } | | | | | | | | | | | | | | |
| 2. Remoto uno Disparatorum. | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 1. Posito uno Relatorum. | } | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 2. Remoto uno Relatorum. | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 3. Cui tribuitur unū Relative. | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 4. Contradictoria ubi Re- | 3. Privantia, ubi Regu- | Regulæ 4. | <table border="0" style="border-left: 1px solid black; border-right: 1px solid black;"> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">1. Relata, ubi Regul.</td> <td rowspan="2" style="font-size: 2em; vertical-align: middle;">}</td> </tr> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">2. Remota</td> </tr> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">2. Contraria suntq;</td> <td rowspan="2" style="font-size: 2em; vertical-align: middle;">}</td> </tr> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">Immediata</td> </tr> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">3. Privantia, ubi Regu-</td> <td rowspan="2" style="font-size: 2em; vertical-align: middle;">}</td> </tr> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">læ 5.</td> </tr> </table> | 1. Relata, ubi Regul. | } | 2. Remota | 2. Contraria suntq; | } | Immediata | 3. Privantia, ubi Regu- | } | læ 5. | <table border="0" style="border-left: 1px solid black; border-right: 1px solid black;"> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">1. Posito uno Contrariorum</td> <td rowspan="4" style="font-size: 2em; vertical-align: middle;">}</td> </tr> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">2. Remoto uno Contrariorum</td> </tr> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">3. Contrariorum contraria</td> </tr> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">4. Contrariorum Causarum</td> </tr> </table> | 1. Posito uno Contrariorum | } | 2. Remoto uno Contrariorum | 3. Contrariorum contraria | 4. Contrariorum Causarum |
| | | | 1. Relata, ubi Regul. | } | | | | | | | | | | | | | | |
| 2. Remota | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 2. Contraria suntq; | } | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| Immediata | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 3. Privantia, ubi Regu- | } | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| læ 5. | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 1. Posito uno Contrariorum | } | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 2. Remoto uno Contrariorum | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 3. Contrariorum contraria | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 4. Contrariorum Causarum | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 5. Sublatio | 4. Contradictoria ubi Re- | Regulæ 2. | <table border="0" style="border-left: 1px solid black; border-right: 1px solid black;"> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">1. Privatio præsupponit habitum.</td> <td rowspan="5" style="font-size: 2em; vertical-align: middle;">}</td> </tr> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">2. Posito habitu tollitur Privatio</td> </tr> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">3. Sublato habitu ponitur Privatio</td> </tr> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">4. Posita privatione tollitur habitus</td> </tr> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">5. Sublata privatione ponitur habitus</td> </tr> </table> | 1. Privatio præsupponit habitum. | } | 2. Posito habitu tollitur Privatio | 3. Sublato habitu ponitur Privatio | 4. Posita privatione tollitur habitus | 5. Sublata privatione ponitur habitus | <table border="0" style="border-left: 1px solid black; border-right: 1px solid black;"> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">1. Posito uno Contradictentium.</td> <td rowspan="2" style="font-size: 2em; vertical-align: middle;">}</td> </tr> <tr> <td style="padding: 2px 5px;">2. Negato uno Contradictentium.</td> </tr> </table> | 1. Posito uno Contradictentium. | } | 2. Negato uno Contradictentium. | | | | | |
| | | | 1. Privatio præsupponit habitum. | } | | | | | | | | | | | | | | |
| 2. Posito habitu tollitur Privatio | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 3. Sublato habitu ponitur Privatio | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 4. Posita privatione tollitur habitus | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 5. Sublata privatione ponitur habitus | | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 1. Posito uno Contradictentium. | } | | | | | | | | | | | | | | | | | |
| 2. Negato uno Contradictentium. | | | | | | | | | | | | | | | | | | |

TABULA

TABULA QUINTA PARTIS PROPRIÆ DE LOCIS INARTIFICIALIBUS.

| | | | | |
|--|---|---------------|---|---|
| LocI INARTIFICIALES, vulgò TESTIMONIA, sunt | } | 1. Divina, | } | 1. Ubi est divinum Testimonium. |
| | | ubi Regulæ 3. | | 2. Ubi divinum Testimonium non est. 3. Quod per bonam consequentiam, |
| } | } | 2. Humana | } | 1. Probato artifice in sua arte credendum. |
| | | ubi Regulæ | | 2. A Testimonio humano tantum affirmantia. |

TABULA SEXTA PARTIS PROPRIÆ DE SYLLOGISMO SOPHISTICO.

| | | | | | | | | |
|--|---|----------------------------|---|--------------|---|------------------------|---|---|
| In Syllogismo Sophistico, considerata est | } | Fallacia estq; alia | } | Formæ | } | Diçtione sc. | } | 1. Æquivocatio |
| | | | | | | | | 2. Amphibolia |
| } | } | } | } | } | } | } | } | 3. Compositio |
| | | | | | | | | 4. Divisio |
| } | } | } | } | } | } | } | } | 5. Accentus |
| | | | | | | | | 6. Figura Diçtionis |
| } | } | } | } | } | } | } | } | 1. Fallacia Accidentis |
| | | | | | | | | 2. Fallacia à dicto secundum quid |
| } | } | } | } | } | } | } | } | 3. Ignoratio Elenchi |
| | | | | | | | | 4. Petitio Principii |
| } | } | } | } | } | } | } | } | 5. Fallacia Consequentis |
| | | | | | | | | 6. Fallacia à non causa |
| } | } | } | } | } | } | } | } | 7. Fallacia secundum plures interrogaciones |
| | | | | | | | | |
| } | } | } | } | } | } | } | } | 1. Reçctio vitiosa consequentiæ |
| | | | | | | | | 2. Distinçtio |
| } | } | } | } | } | } | } | } | 3. Inficiatio |
| | | | | | | | | 4. Limitatio |
| } | } | } | } | } | } | } | } | 5. Instantia |
| | | | | | | | | |
| } | } | } | } | } | } | } | } | 1. Retorsionem |
| | | | | | | | | 2. <i>ειρμηφορὰν</i> |
| } | } | } | } | } | } | } | } | 3. Comparationem |
| | | | | | | | | 4. Objurgationem |
| } | } | } | } | } | } | } | } | 5. Comparationem |
| | | | | | | | | |
| } | } | } | } | } | } | } | } | 1. <i>Εξωθενισμὸς</i> seu Irrisione |
| | | | | | | | | 2. <i>παρεκβασις</i> , seu Digressione |

Tractatio Thematicis simplicis

H O M O

De Homine
verba fa-
cturus ex-
plicabit.

- 1. N O M E N , & dicitur Homo , quod terra fit creatus.
- 2. Genus, 1. Remotum, Substantia.
- 3. Causas, & quidem
 - 1. Efficiens, Deus, So
 - 2. Materia { Corpus
 - 3. Forma { Anima
 - 4. Finis, Aeterna felicitas
- 4. Definitionem, & est Homo animalis participes.
- 5. Effecta, ut sunt: Leges, Civitates, artes.
- 6. Accidētia
 - 1. Propria, videl. Ride
 - 2. Communia respectu
 - 1. An
 - 2. Co
 - 3. Fo
- 7. Divisionem. Atqui hic sciendum quod species fit in alias species non divi
- 8. Cognata, & habet homo cognationem cum
 - 1. Toto mun
 - 2. Superis, nam forte
 - 3. Bestiis, si rum pecu
- 9. Pugnancia, ut sunt, Lupus, Croco

alis.

302

d est, limo

, Animal.
um natale.
tis ex qui-
mpōnitur.

consiliūq;

disciplinā &

erare. &c.
n, Hebetu-

, Imbecil-

Paupertas.
um infima

κρόνοςμος

ora huma-
ideat,

t ad muta-
proximē

s, &c.

Tracta-

